



HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.

JAHRESBERICHT

UEBER DAS

KURFÜRSTLICHE GYMNASIUM

ZU HERSFELD,

WOMIT

ZU DEN AM 22. 23. UND 24. MÆRZ ZU HALTENDEN

öffentlichen Prüfungen und Schulfeierlichkeiten

DIE ELTERN DER SCHUELER UND ALLE FREUNDE DES SCHULWESENS

ERGEBENST EINLADET

DER DIRECTOR DES GYMNASIUMS

Dr. **Wilhelm Münscher.**

VORAN GEHT:

Commentationis de Demetrii Phalerei vita, rebus gestis et scriptorum reliquiis.

Part. I.

SCRIPSIT

Dr. CHRISTIANUS OSTERMANNUS.

HERSFELD,
Druck und Papier von W. L. Happichs Wittwe.
1847.

Praefatio.

Postquam novissimis temporibus plures homines docti de Demetrio Phalereo praeclare meruerunt, ea historiae parte, quae in illius tempora incidit, diligentius, quam olim factum erat, explicata et illustrata, ut Grauertus (hist. phil. Analect. 1833 p. 208 — 359 Geschichte Athens seit dem Tode Alexanders d. G. bis zur Erneuerung des achäischen Bundes), Droysenius (Geschichte des Hellenismus 1836), alii, operae pretium esse videtur, quae ad Demetrii Phalerei vitam et scripta pertinent, singulari libro comprehensa illustrare. Exstat quidem commentatio de vita et rebus Demetrii Phalerei Peripatetici auctore Dohrnio Kiloniae 1825, sed quum is neque illorum temporum et rerum naturam satis perspexisse, et passim omisisse videretur, quae non erant omittenda, haud inutilem operam me suscepturum existimavi, si ejusdem Demetrii Phalerei non solum vitam et res ab eo gestas, accurata historiae illius aetatis ratione habita, denuo explanarem, sed etiam, quod adhuc prorsus neglectum est, disquirerem de iis, quae praestiterit in litteris, et librorum ejus fragmenta multis locis dispersa colligere collectaque secundum librorum indicem a Diogene conservatum in ordinem quendam redigere. Itaque totam rem in duas partes ita divisi, ut prius librum de vita et rebus gestis Demetrii Phalerei emitterem, mox autem subsequeretur altera commentationis pars, qua fragmenta Demetrii scriptorum continerentur. Priorem partem novem capitibus ita comprehendi, ut primo capite inprimis de genere et anno natali Demetrii agerem, in secundo de ejus in-

stitutione, in tertio, in quantum se dederit reipublicae et quas partes sit secutus, inprimis dum bellum Lamiacum gerebatur, in quarto de priore ejus exsilio et in quantum reipublicae gerendae particeps fuerit post bellum Lamiacum, in quinto de tempore, quo Athenis fuit ἐπιμελητής, in sexto, quid existimandum sit de Demetrii principatu, in septimo de moribus ejus et vita privata, in octavo de altero ejus exsilio et Thebis commoratione, in nono de Demetrio in Aegypto versato. —

In vita Demetrii Phalerei describenda bene nobis prospectum esset, si Asclepiadis opus περὶ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως σύγγραμμα [1]) ad nos pervenisset; nec minus est dolendum periisse Demetrii Phalerei scriptum περὶ δεκαετίας [2]), in quo ipse rerum in principatu suo gestarum rationem reddidit. Item aegre caremus Hermippi libro, in quo, cum περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ λαμψάντων ageret, accurate etiam de Demetrii vita exposuit (vide Loszynski Hermippi fragm. Bonn 1831. p. 39), idque eo magis dolendum, quod Hermippus Demetrii temporibus proximus fuit. Quibus operibus perditis sponte rejicimur ad ea, quae apud Diogenem Laërtium et passim apud alios veteres scriptores: Polybium, Diodorum Siculum, Plutarchum, Aelianum, Athenaeum, Pausaniam, alios, et Latinorum inprimis Ciceronem, Quintilianum, Justinum memoriae prodita sunt. Plurima sane enarravit Diogenes Laërtius V. c. 5., sed Diogenes is est, cui in universum parum fidei sit tribuendum, in iis praecipue, in quibus ab aliis scriptoribus discrepat. Plura solus memoriae prodidit; fontes aliquoties nominat, ut Phavorinum in commentariis, Demetrium Magnesium in Aequivocis, Didymum in Symposiacis, Hermippum, Heraclidem in epitome successionum Sotionis. Sed haec hactenus.

[1]) Athen. XIII. p. 567 D. Asclepiades ille ibi ὁ Ἀρείου dicitur, ut nescias filius Arei an rectius discipulus intelligendus sit; certe Jonsii improbanda est ratio, qui (de Scriptor. hist. philos. II, 17 et III, 1) Arei magistrum significari credit. Areum autem nobilem illum philosophum esse, qui Augusti aetate vixit, non est improbabile.

[2]) Velut Demades περὶ δωδεκαετίας scripsit, cf. Ruhnken hist. crit. Or. gr. p. LXXIII.

Cap. I.

De Demetrii patria, nomine, genere et anno natali.

De patria Demetrii Phalerei, quippe quae jam ex ipsius cognomine cognoscatur, dubitari non potest. Demetrius Atheniensis adscriptus fuit pago Phaleri [1]), qui pagus [2]) situs est prope Athenas, celeberrimo illo ejusdem nominis portu insignis. —

De nomine Demetrii id maxime notandum est, eum apud veteres scriptores a pago nominatum esse Phalereum, [3]) vel simpliciter ita dictum vel cum Deme-

---

[1]) Diog. L. V. 75. *Δημήτριος Φανοστράτου Φαληρεύς.* Suidas ad h. l. *Φάληρον δὲ λιμὴν τῆς Ἀττικῆς, ὅς τὸ πρῶτον Φανὸς ἐκαλεῖτο.* — Phanostrati filium etiam Pausan. I, 25 dicit. Cic. de fin. V. 19. 54.

[2]) Hic pagus pertinet ad pagum Acantidem (Boeckh C. J. I p. 309), sed antea ad Antiochidem (Grotefend Ztschr. f. d. A. 1836. p. 1040.).

[3]) Dubitatur de lectionis varietate, quum alii Phalereus, alii Phalerius, alii denique minus recte Phaleraeus scribi velint. Phalerius constanter codices scripti editique apud Rutil. Lup. de fig. sentent. et eloc. II, 16. In Cicerone etiam (de off. I, 1.) praeter codices ab aliis excussos, M. S. Leidensis et editio prima apud Joannem Fust exhibent Phalerius; eandem M. SS. varietatem in Corn. Nep. Miltiade c. 6. viri docti observarunt (Daehne: Phalereus). Etsi vero codicum lectione forma Phalerius confirmari potest, alteram tamen lectionem Phalereus propter graecam formam *Φαληρεύς* praeferendam esse arbitror. cf. Ruhnken ad Rutil. Lup. ed. Frotscher p. 176. et Heusinger ad Cic. de off. I, 1. Forma Phaleraeus quin pessima sit, non est dubium, quum graecam formam requirat *Φαληραῖος*, quae num usquam inveniatur valde dubitaverim. cf. Nolten lex. Antib. p. 185. »Tyanaeus per ae vulgo scribitur, sed nihilo rectius, quam Demetrium dicunt Phaleraeum, quum graece sit non *Φαληραῖος*, vel *Τυαναῖος*, verum *Φαληρεύς* et *Τυανεύς*.« Qua ratione Wachsmuthius (H. A. I, p. 828) formam *Φαληραῖος* probare possit, equidem non video. Phalerius (i producta) referendum est ad formam *Φαλήρειος*, quae de Demetrio quidem nusquam usurpatur. In universum id discrimen inter utramque formam intercedere statuo, ut *Φαληρεύς* substantive de personis, *Φαλήρειος* adjective de rebus usurpetur, itaque Phalereus respondeat formae *Φαληρεύς*, Phalerius autem formae *Φαλήρειος*. cf. Corn. Nep. Milt. 6, 4. Ita statuentibus forma Phalereus preferenda videtur, quae quum a *Φαληρεύς* sit ducenda, item tribus syllabis non

trii nomine conjunctum, ut, quum jam nominis famam adeptus esset [1]), ab aliis [2]) ejusdem nominis inprimisque a Demetrio Poliorcete fere aequali, quocum saepius apud veteres confunditur, eo facilius discerneretur. —

Eam autem difficultatem, quam Suïdae verba objiciunt, si ita, ut vulgo, leguntur, *Δημήτριος, Φανοστράτου, Φαληρεύς. Φάληρον δὲ λιμὴν τῆς Ἀττικῆς, ὃς τὸ πρῶτον Φανὸς ἐκαλεῖτο,* quia portum Phalereum antea Phani nomen gessisse nusquam alibi invenitur, facile expediemus eundem locum ita interpungendo, ut legamus: *Δημήτριος, Φανοστράτου, Φαληρεύς, — Φάληρον δὲ λιμὴν τῆς Ἀττικῆς — ὃς τὸ πρῶτον Φανὸς ἐκαλεῖτο.* Ita legentes Demetrium prius Phanum [3]) appellatum esse concludemus. Quae sententia non abhorret ab usu Graecorum; nam etsi nomina gentilicia apud eos non erant usitata, nomina tamen quaedam certarum gentium propria fuisse certum est. Sicuti enim filius maximus natu nomen avi accipere solebat, ita hoc quoque Graecorum erat, ut nomina, quae singularum gentium hominibus inderentur, similitudinem quandam inter se haberent, e. g. in gente Socratis praeter hoc nomen invenitur Sophroniscus, et in Sophoclis gente nomina a vocabulo *σόφος* incipere — patri Sophoclis nomen erat Sophilus —, in Charetis cum verbo *χαίρειν* cohaerere solent, alia id genus. Eodem modo Phani nomen ad Phanostratum referri potest. Itaque etsi nusquam alibi de hoc priori nomine Demetrii a veteribus aliquid memoriae est proditum, ita tamen statuere a veri specie non abhorret. Neque vero res illa est absoluta, sed potius ad quaestionem nos impellit, unde sit factum vel quid commoverit Phanum, ut mutaret nomen, id quod nos ducit ad locum, quem Phanostratus pater in Atheniensium republica obtinuerit, indagandum, ut, utrum Demetrius a nobili an ab obscuro et humili genere sit natus, accurate cognoscatur; qua de re quid veteres nos doceant, videre liceat.

---

quatuor pronuntianda est. De syllabarum numero et quantitate dixit Heusingerus in Observ. Antibarb. p. 372. Phaedrus tamen V I. I. cum dicit: Demetrius, qui dictus est Phalereus, diphthongum distraxit, quod non magis offendit, quam Orpheus trisyllabum in Virgilii Culice V. 116 et 268.

1) Cic. pro Rabir. Post. 9,23. Demetrius et e republica Athenis, et ex doctrina nobilis et clarus, qui Phalereus vocitatus est etc. —

2) Praeter nostrum Diogenes Laërtius undeviginti Demetrios enumerat (V. 83).

3) Phanus etiam argonautae cujusdam nomen erat, vid. Apollodor. I, 9, 16, item Atheniensis cognatus Aphobi, quem Demosthenes aliquoties memorat.

Diog. L. V. 76. de Demetrio dicit: *καίπερ οὐκ εὐγενὴς ὤν. Ἦν γὰρ ἐκ τῆς Κόνωνος οἰκίας, ὡς Φαβωρῖνος ἐν πρώτῳ τῶν ἀπομνημονευμάτων φησίν, ἀλλὰ ἀστῇ καὶ εὐγενεῖ συνῴκει Λαμίᾳ τῇ ἐρωμένῃ κτλ.* Ita legitur in editione Huebneri, in notis autem verba *ἀλλὰ ἀστῇ καὶ εὐγενεῖ* cum sequentibus conjunguntur, neque minus recte id fecisse videtur interpres, quum haec verba ad ea, quae antecedunt, relata, sanam interpretationem non admittant, quia, quid hoc loco sibi velit dativus, difficile est intellectu. Quae sententia nostra etiam eo confirmatur, quod mulierem illam Lamiam, quam amabat Phalereus, nobilem [1]) fuisse tradunt. — Haec autem Diogenis verba sic interpuncta Demetrium ex Cononis familia oriundum eamque ipsam nobilem (*εὐγενής*) non fuisse probare videntur. At vero haec sententia non est verisimilis, quum Cononem ex Eumolpidis [2]) fuisse Boeckhius (Corp. Inscr. I, 393) satis probabiliter conjecerit. Omnis autem dubitatio, quomodo verba *ἐκ τῆς οἰκίας* intelligenda sint, tollitur, altero illo loco Aeliani, quem eodem fonte h. e. Phavorino usum esse verisimile est. Aelianus V. H. XII, 43 Demetrii humilitatem generis satis prodere videtur, quum dicit: *Δημήτριον δὲ τὸν Φαληρέα οἰκότριβα* [3]) *γενέσθαι λέγουσιν ἐκ τῆς οἰκίας Τιμοθέου καὶ Κόνωνος* [4]). Ita Demetrium ab humili genere esse natum Diogenes et Aelianus consentiunt. Nihilo tamen minus Aeliano non plane assentiar, quum Demetrium ipsum vernam fuisse omni dubitatione minime careat; semper enim erit dubium, unde factum sit, ut verna ille ad rempublicam accedere posset, ut summum etiam principatum Athenis adipisceretur. Haud inepta igitur videtur conjectura Perizonii ad h. l., qui suspicatur legendum hic esse *οἰκότριβος*, ut ita pater ipsius Phanostratus fuerit *οἰκότριψ ἐκ τῆς οἰκίας Τιμοθέου καὶ Κόνωνος*. Quae conjectura eo quoque sustentatur, quod

---

1) Aelian V. H. XII, 17; XIII, 9; Plut. Demetr. c. 24. Athen. XIII, 5 (p. 577, c.)

2) cf. Bossler de gent. et fam. Att. sacerdot. p. 41.

3) *οἰκότριβες* (Bekkers anecd. p. 286), *οἰκοτριβής*, *οἰκοτραφής*, *οἰκογένης*, sicuti *θρεπτός* sunt vernae, qui majore eruditione ceteris servis praestantes etiam majore dominorum familiaritate utebantur.

4) Conon erat Timothei pater, Cononi autem uxor fuit meretrix, genere Thressa, ut ait Athen. XIII, 5 (p. 577 a. b.). *Τιμόθεος δ' ὁ στρατηγήσας Ἀθηναίων ἐπιφανῶς ἑταίρας ἦν υἱός, Θρᾴττης τὸ γένος, σεμνῆς δ' ἄλλως τοὺς τρόπους κτλ. ὁ δὲ Τιμόθεος καὶ σκωπτόμενός ποτε ὅτι τοιαύτης εἴη μητρὸς, καὶ χάριν γε αὐτῇ, φησίν, οἶδα, ὅτι δι' αὐτὴν Κόνωνός εἰμι υἱός.*

Demetrius ipse Timothei servus prorsus esse non poterat, quum Timotheus jam anno 349 a. Chr. mortuus esset [1], quo tempore Demetrium nondum natum fuisse videbimus. Optime autem hoc consentit cum aetate Phanostrati, Demetrii patris, qui, etsi Conone vivo natus, praecipue tamen aequalis fuit Timothei, a quo etiam manumissus esse videtur. Itaque recte dicit Diogenes ἐκ τῆς Κόνωνος οἰκίας, Aelianus autem nominat Cononem et Timotheum. Sed Aelianus quin intellexerit clarum illum Cononem, non minorem, Timothei filium, [2] dubitari non potest, neque verborum collocutio impedit, quominus ita statuamus. —

Unde sequitur, ut Demetrius εὐγενής prorsus dici non potuerit. Non magis autem Demetrium ipsius servi filium h. e. in servitute natum fuisse credam, cui sententiae id maxime adversetur, quod frater ejus Himeraeus, quem majorem natu filium fuisse patet, in administratione reipublicae non parum floruit, et eo tempore, quo reipublicae Atheniensis disciplina legibus adhuc erat astricta; et quod Demetrium ipsum eodem jam tempore ad rempublicam accessisse, certum est, ut eam dignitatem, quae serius in eum collata est, non legibus, sed Macedonum imperio concedamus amplificationem [3] plane contra leges et Macedonum auctoritate factam esse statui posset. Quodsi Demetrium et Himeraeum ipsos demum civitatem adeptos esse statueremus, in laqueos inexplicabiles incideremus. — Quibus expositis id potius conjiciendum est, Phanostratum [4] primo servum fuisse et quidem οἰκότριβα Timothei, postea ab hoc manumissum (ἀπελεύθερος) in inquilinorum [5] ordinem transiisse, deinde, ut multos alios metoecos, quaestu aut mercatura opes sibi acquisivisse, tum civem Atticam, ἀστήν, in matrimonium duxisse, ita ut filii ex hoc matrimonio suscepti, Himeraeus et Demetrius, non servi sed libertini s. inquilini filii fuerint, postea autem ipsum civitatem adeptum δημοποίητον factum esse, itaque filios ejus pro filiis vere Atheniensis civis habendos esse. Inde ab hoc tempore Phanostratum Demetrio, cui antea nomen erat Phani, necnon Himeraeo, qui prius aliud nomen

---

[1]) cf. Rehdantz vitae Chabriae, Iphicratis, Timothei p. 232.

[2]) Corn. Nep. Timoth. c. 3.

[3]) e. g. quod archon factus est.

[4]) Is confundi non debet cum Phanostrato, qui Ol. 99, 2 (383 a. Chr.) archon fuerat. cf. Corsini F. A. III, p. 297. Diod. Sic. XV. 15.

[5]) cf. Schoemann antiq. jur. publ. p. 199. Sunt peregrini, qui patria sua relicta Athenas habitatum concesserant, vel urbis amoenitate voluptatumque omnis generis affluentia, vel quaestus faciendi opportunitate invitati.

gesserat, alia quoque nomina indidisse, verisimile est. Phanostrato autem ipsi, quippe qui δημοποίητος esset nec γεννήτης Ἀπόλλωνος πατρῴου καὶ Διὸς ἑρκείου, in phratriae album, quae res pro argumento γνησιότητος esset, non inscripto, nullus erat aditus ad archontis, sacerdotum dignitatem et alios honores. At vero idem non convenit in Phanostrati filios, qui in phratriam materni avi introducti [1]) plenam civitatem sibi vindicare potuerint. Quum in gentilium et orgeonum numerum inscriberentur, Himeraeo et Demetrio illa nomina, quae in gente matris hereditaria fuisse verisimile est, indita esse videntur. Itaque factum est, ut Himeraeus et Demetrius jam mature optimo jure ad rempublicam accedere possent. Lege quidem post bellum Peloponnesiacum praescriptum erat, ut ii tantum pro civibus haberentur (*μετέχειν τῆς πόλεως*), quorum parentes pater et mater, veri et genuini cives essent [2]), sed quantum serius haec lex valuerit, clare et perspicue demonstrat exemplum Aeschinis, cujus pater servus in civitatem postea receptus et mater, quamquam eam *ἀστήν* fuisse verisimile est, ab humili et obscuro genere nata erat. — Demetrium autem etiam ad archontis dignitatem, qui ut *ἐκ τριγονίας* [3]) esset, lege praescriptum erat, quamquam legis conditioni ejus origo non responderet, pervenisse audimus. Sed hoc nos offendere non potest, considerantes, illo tempore Athenienses, in quibus maxima erat vis et auctoritas Macedonum, ipsius Demetrii imperio subjectos fuisse, ita ut illa lex facile violari posset. — Certe autem assentatione, non rei veritate factum est, quod Demetrius in

---

1) cf. Hermann Antiq. §. 100. „Ausländer, welche das Bürgerrecht von Staats wegen erhalten hatten (δημοποίητοι), waren für ihre Person noch von den Phratrien ausgeschlossen, und hatten daher auch keinen Zutritt zu Archonten- und Priesterstellen, weil ihnen die Theilnahme am Cultus des *Ἀπόλλων πατρῷος* und *Ζεὺς ἑρκεῖος* fehlte, die erst ihre Kinder, wie es scheint, durch Aufnahme in die Phratrie des mütterlichen Grossvaters erhielten.“ cf. n. 6.

2) Schol. Aeschines Timarch. §. 65. *Εὔμηλος ὁ περιπατητικὸς ἐν τῷ τρίτῳ περὶ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας φησὶ Νικομένη τινὰ ψήφισμα θέσθαι, μηδένα τῶν μετ᾽ Εὐκλείδην ἄρχοντα μετέχειν τῆς πόλεως, ἂν μὴ ἄμφω τοὺς γονέας ἀστοὺς ἐπιδείξηται, τοὺς δὲ πρὸ Εὐκλείδου ἀνεξετάστους ἀφεῖσθαι.*

3) Iis tantum ad summum magistratum aditus erat, qui cives erant *ἐκ τριγονίας* h. e. ab avo. cf. Demosth. adv. Eubul. p. 1319, 21. Pollux VIII, 85. Corsini F. A. I, p. 15. Wachsmuth H. A. I, 1, p. 262.

carmine in ejus archontis honorem composito [1]) nominatur εὐγενέτας; quo minus enim talem honorem Demetrius sibi vindicare poterat, eo magis eum simulabat eoque acceptior talis adulatio ei erat. —

Frater Demetrii, cujus jam mentionem fecimus, erat Himeraeus [2]), qui, quanquam antea in causa Harpali Demosthenem accusaverat, postea, quia et ipse Macedonum partibus adversatus erat, ab Antipatro interfectus est eodem tempore, quo Demosthenes et Hyperides obierunt. Memoratur etiam apud Diog. L. V. 80. Telesphorus quidam, ὁ ἀνεψιὸς [3]) τοῦ Δημητρίου, qui Menandrum comicum propter Phalerei amicitiam accusatum liberasse dicitur. Demetrium, Phalerei nepotem, memorat Hegesander apud Athenaeum IV. p. 168. Qui, divitiis ac opibus excellens, Athenis erat ἱππαρχος [4]), quo munere nonnisi viri nobiles ac divites fungi solebant; postea per Antigonum Gonatum factus est ἄρχων θεσμοθέτης [5]). — Quare Demetrium liberis plane caruisse nullo modo statui potest; sed facile fieri poterat, ut filius ejus νόθος esset, qui propter summam patris auctoritatem ac potentiam legitimus filius agnoscebatur. De conjugio Demetrii nihil certi constat. Lamia plerumque nonnisi amica eius nominatur (Diog. L. V. 5.), sed dicit Diogenianus apud Bekker. anecdot. III. p. 1395 (cf. Cramer anecd. Oxon. II, 239) Λοιμία (lieu Λάμια) ὄνομα κύριον. γέγονε δὲ ἡ γυνὴ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως, unde Demetrium in matrimonium duxisse Lamiam conjicere licet. —

Sed transimus ad annum, quo natus sit Demetrius, indagandum, qui quum a veteribus non traditus sit, prope tantum ad veritatem accedere poterimus. Ex tribus potissimum locis de aetate ejus aliquid concludi potest, Cicero in Bruto c. 9. dicit, adolescentem successisse eum oratorem iis senibus, sc. Demostheni [6]),

[1]) Athen. XII. p. 542.

[2]) Athen. XII, p. 542. e. Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς Ἱμεραίου τοῦ ἀδελφοῦ ἀναιρεθέντος ὑπ' Ἀντιπάτρου. cf. Plut. Dem. c. 28. Vita X. Orat. p. 846. Arrian. apud Phot. Bibl. 89. Lucian. Demosth. Encom. 31. Adversus eundem scripta esse videtur oratio Dinarchi, quam memorat Dionys. Halic. vit. Din. 9., ubi pro Ἱμεραῖος legitur Ἱμέριος.

[3]) f. e. consobrinus, ἀνεψιοί Vaters-Bruders-Söhne, itaque falso Huebnerus vertit gener.

[4]) cf. Hermann antiq. §. 152.

[5]) cf. Koepke de Hypomnematis Graecis, Berlin 1841, p. 31.

[6]) Demosthenes mortuus est duobus mensibus post pugnam ad Crannonem in Calauria Ol. 114, 3 (Octbr. 322). cf. Plut. Dem. c 30., capitis damnatus Archia Demade.

Hyperidi [1]), Demadi [2]), Lycurgo [3]), aliis. Cum Cicerone consentit Plutarchus in Dem. Poliorc. c. 10., quum dicit: *Ἀθηναῖοι δὲ ἀπολαβόντες τὴν δημοκρατίαν ἔτει πεντεκαιδεκάτῳ, τὸν διὰ μέσου χρόνον ἀπὸ τῶν Λαμιακῶν καὶ τῆς περὶ Κρατῶνα μάχης λόγῳ μὲν ὀλιγαρχικῆς, ἔργῳ δὲ μοναρχικῆς καταστάσεως γενομένης διὰ τὴν τοῦ Φαληρέως δύναμιν κτλ.* Tertius denique locus invenitur apud Diog. L. V, 75., ubi Demetrius Magnes *ἐν τοῖς Ὁμωνύμοις* dicit: *ἄρξασθαι δ' αὐτὸν τῆς πολιτείας, ὁπότε φυγὼν Ἀλέξανδρον εἰς Ἀθήνας ἧκεν Ἅρπαλος.* Tres illos locos, qui inter se non discrepant, comparantes etiam conjicere licet, quo anno natus sit Demetrius. Oratores illi, quibus Demetrium oratorem adolescentem successisse Cicero prodit, fere omnes perierunt Ol. 114, 2 et 3, Athenis bello Lamiaco ab Antipatro subactis, qui quum alias pacis conditiones tum id proposuerat, ut oratores Atheniensium, inprimis Demosthenes et Hyperides, qui [4]) Graecorum amissam libertatem restituendam esse putantes a Macedonum partibus stare recusaverant, sibi puniendi traderentur. Neque ad aliud tempus spectat alter ille locus, quem legimus apud Plutarchum, Demetrium jam inde a bello Lamiaco (Ol. 114, 2) tantum valuisse, ut reipublicae forma, quamquam *λόγῳ ὀλιγαρχική, ἔργῳ μοναρχική* fuerit. Quam rem si pro certo habeamus, nec tertius ille locus a veri specie abhorret, quo Demetrius eo tempore, quo Harpalus Alexandrum fugiens Athenas venerit, publicis negotiis se tradidisse narratur, id quod factum est Ol. 113, 4. [5]).

Jam vero ad annum quoque, quo natus sit Demetrius, propius accedere possumus, eo anno prius investigato, inde a quo civibus in publicum prodire et

---

1) Hyperides fere eodem tempore ab Antipatro interfectus est. Plut. Dem. c. 28. Vita X. Orat. p. 849, b.

2) Demades interemtus est circa id tempus, quo Antipater diem supremum obiit. cf. Arrian. apud Phot. cod. 92, p. 217. Plut. Dem. c. 31. Diod. XVIII, 48.

3) Lycurgus mortuus est eo tempore, quo Demosthenes exsul erat vel paulo ante, Ol. 114, 2. Vita X. Orat. p. 842. d. e. Demosth. ep. III. p. 1479 R. Secundum alium locum vitae scriptoris jam obierat eo tempore, quo Demosthenes accusatus erat. p. 848. f. cf. Boeckh. Sth. d. Ath. II, p. 242.

4) Diodor. XVIII, 17.

5) Athen. XIII, p. 595. e. *ἐδίδαξε Διονυσίων ὄντων ἐπὶ τοῦ Ὑδάσπου τοῦ ποταμοῦ, εἴτε Πύθων ἦν ὁ Καταναῖος ἢ ὁ Βυζάντιος ἢ καὶ αὐτὸς ὁ βασιλεύς* (cf. Athen. II, p. 50. XIII, p. 586. d.), *ἐδιδάχθη δὲ τὸ δρᾶμα ἤδη φυγόντος τοῦ Ἁρπάλου ἐπὶ θάλατταν καὶ ἀποστάντος.* Alexander autem ad Hydaspem pervenerat octavo Asiatici belli anno,

publicis negotiis se dare licebat. Legibus enim Atheniensium praescriptum erat, qua quis aetate inter cives Athenienses, ita ut omnia jura ei concederentur, referri posset, quae lex accuratius explicatur apud Bekker. Anecd. p. 255. 15. ἐπὶ διετὲς.[1]) ἡβῆσαι τὸ γενέσθαι ἐτῶν ὀκτωκαίδεκα, ἵνα ἥβη ᾖ τὸ ἑκκαίδεκα ἐτῶν γενέσθαι. Itaque is, qui decimum octavum annum agebat, pro vero Atheniensi cive erat habendus [2]). Minus autem recte ii [3]) egisse videntur, qui inde concluserunt, Atheniensibus duodeviginti annos natis in publicum prodire et publicis negotiis se dedere licuisse, id quod duobus demum annis postquam περιπόλων [4]) officiis functi erant, vicesimo igitur anno [5]) fieri poterat. Quodsi eundem morem in Demetrio valuisse statuentes conjicimus — cui sententiae nihil repugnat —, Demetrium, simulac legibus posset, ad rempublicam accessisse, id quod Diogene auctore factum est eo tempore, quo Harpalus Alexandrum fugiens Athenas venit, i. e. Ol. 113, 4, Demetrium Phalereum circiter Ol. 108, 4, libertate reipublicae Atheniensis nondum amissa natum esse verisimile videtur. —

At vero nihil impedit, quominus Demetrium paucis annis ante natum esse

---

h. e. Ol. 113, 2. cf. Arrian. IV. 22. 4. V. 9. 6. Verum recte Clintonus dicit, in illo dramate non tam ipsam fugam, quam fugae consilium et meditationem significatam esse. Athenas certe Harpalus Anticle demum archonte, hoc est Ol. 113, 4 se contulit.

[1]) cf. Demosth. adv. Steph. I. §. 20. (p. 1135, 5.) καὶ ἐὰν ἐξ ἐπικλήρου τις γένηται, ἅμα καὶ ἡβήσῃ ἐπὶ διετὲς, κρατεῖν τῶν χρημάτων, τὸν δὲ σῖτον μετρεῖν τῇ μητρί. —

[2]) cf. Hermann. Antiq. §. 123. »Was den Zeitpunkt der Mündigkeit betrifft, mit welchem der männliche Bürger in den factischen Genuss seiner Rechte als solcher eintrete, so unterliegt es jetzt wohl keinem Zweifel mehr, dass unter den 2 Jahren, die nach den Worten der Gesetze von dem Eintritt der Mannbarkeit bis dahin verflossen sein mussten, der Zeitraum vom 16. bis 18. Jahr verstanden ist, der vorzugsweise den Uebungen in den Gymnasien gewidmet war und nach dessen Ablauf der Jüngling unter die Epheben aufgenommen, in das Gemeindebuch (ληξιαρχικόν) seines Demos eingetragen und nach geleistetem Bürgereide vor dem versammelten Volke wehrhaft gemacht wurde.« —

[3]) cf. Ubbo Emm. de rep. Ath. p. 66.

[4]) cf. Hermann. §. 123, 9.

[5]) Itaque apud Platonem in Alcib. I, dicitur: οὐδέπω εἴκοσιν ἔτη γεγονὼς δημηγορῆσαι, et apud Xenoph. Mem. Socrat. III. Γλαύκωνα δὲ τὸν Ἀρίστωνος (ὅτ' ἐπεχείρει δημηγορεῖν, ἐπιθυμῶν προστατεύειν τῆς πόλεως, οὐδέπω εἴκοσιν ἔτη γεγονώς) κτλ. —

statuamus. Faciamus enim, Demetrium viginti annos natum in causa Harpalica[1]) (Ol. 113, 4) primum ad res publicas accessisse, vix tamen credibile est, eum jam paucis annis post, h. e. Ol. 114, 2 tanto imperio tantaque potestate, quantam Plutarchus l. l. ei tribuit, ornatum fuisse, quippe quae nisi maturiorem aetatem ingresso tribui non posset. Huc accedit, quod Demetrium eo tempore, quo principatus Athenarum ei mandatus erat, hoc est Ol. 115, 4, tricesimum circiter annum egisse verisimile est. Quae quum ita sint, Demetrius ante Ol. 108, 4 natus esse videtur, ita ut, si vicesimum quintum annum agens in causa Harpalica processerat, Ol. 107, 3 annum natalem fuisse statuere liceat; quae ratio temporis confirmatur, considerantibus nobis, quid Dionysius de aetate Dinarchi, quam et ipsam accuratius definire non poterat, statuerit c. 4. *οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἄρξασθαι λέγοντας αὐτὸν λόγους συγγράφειν ἀπὸ τοῦ πέμπτου ἢ ἕκτου πρὸς τῷ εἰκοστῷ ἔτους οὐκ ἂν ἁμάρτοιμεν.* Idem fere tempus indicare videntur ejusdem verba, quibus, quae ratio intercesserit inter Dinarchum et Demetrium, memorat c. 2. *ἀφικόμενος δὲ εἰς Ἀθήνας, καθ' ὃν χρόνον ἤνθουν αἵ τε τῶν φιλοσόφων καὶ ῥητόρων διατριβαί, Θεοφράστῳ τε συνεγίνετο καὶ Δημητρίῳ τῷ Φαληρεῖ.* Jam vero Dinarchum Ol. 111, 2 [2]). Athenas venisse scimus, unde, etiamsi Demetrium tunc nonnisi condiscipulum Dinarchi in disciplina Theophrasti [3]) fuisse sumamus, Demetrium minime Ol. 107, 3, fortasse etiam prius natum esse concludi potest. Quae sententia nostra de Demetrii aetate etiam probatur, quod Menander comicus, cujus condiscipulus et aequalis nominatur [4]), iisdem fere temporibus, Ol. 109, 3, natus erat. —

Cap. II.

De institutione ejus ac doctrina.

De prima juventute primaque ejus institutione nihil est, quod pro certo affirmari possit. Sed, id quod gravissimum est, invenitur, fuisse eum discipulum

[1]) In hac causa eum primum ad dicendum processisse verisimile est.
[2]) cf. Aület de vita Dinarchi, Berlin 1842. p. 16.
[3]) cf. Plut. vita dec. orat. vit. Din.
[4]) Diog. L. V. 80.

Theophrasti[1], praestantissimi Aristotelis auditoris ejusque, cum ille Chalcidem se contulisset (Ol. 114, 3,) successoris[2], quem Demetrius ita secutus et imitatus erat, ut, quemadmodum Cicero ait, Theophrasti discipulus posset agnosci[3]. Quae res, etsi veterum testimoniis satis est comprobata, tamen omni difficultate non caret. Theophrastus Aristoteli successerat Ol. 114, 3, quo tempore Demetrium maturam jam aetatem ingressum, quum nomen ejus jam celebratum esset deberet in foro Atheniensium, in civitate plurimum valuisse videmus. Demetrium autem Aristotelis quoque auditorem fuisse nusquam veteres retulerunt. Unde Demetrium, philosophorum scholis primo neglectis, illo demum tempore Theophrasto se dedisse suspicari liceret. Neque vero haec sententia probabilis videtur. Primum enim offendimur, quod Demetrius eum philosophum, cujus fama non solum Athenis sed tota Graecia maxima erat, et quem ab omnibus fere Atheniensibus, qui animum excolere studerent, summo studio auditum esse constat, repudiaverit, id quod, quum a veteribus nihil de ea re memoriae sit proditum, certe in dubium vocari potest. Quam rem ita expedire possis, ut Demetrium initio, sed breve tempus, ad Aristotelem inclinasse, sed quum postea diutius et majori studio Theophrasti scholas frequentaverit, veteres priorem illam institutionem silentio praetermisisse, et alteram tantum, quae ad animum ejus excolendum plurimum valuerit, memorasse conjicias. Altera autem difficultas, quae in eo cernitur, quod Demetrius aetate jam provectus Theophrasto, qui demum Ol. 114, 3 Aristoteli successerat, se dedisse perhibetur, amoveri non potest, nisi Theophrastum antequam

---

1) Diog. L. V. 75. οὗτος ἤκουσε μὲν Θεοφράστου. Cic. de fin. V. 19. 54. Qui cum in philosophia excelleret Theophrastique esset auditor etc. de leg. III, 6, 14, Demetrius Phalereus a Theophrasto doctus etc. Brutus 9. 37. „Eruditissimus oratorum antiquiorum omnium, sed non tam armis institutus quam palaestra. Itaque delectabat magis Athenas, quam inflammabat: processerat enim in solem et pulverem, non ut e militari tabernaculo, sed ut e Theophrasti umbraculis.“

2) Diog. L. V. 36. Θεόφραστος Ἐρέσιος, ἀκούσας Πλάτωνος, μετέστη πρὸς Ἀριστοτέλη· κἀκείνου εἰς Χαλκίδα ὑποχωρήσαντος αὐτὸς διεδέξατο τὴν σχολὴν Ὀλυμπιάδι τετάρτῃ καὶ δεκάτῃ καὶ ἑκατοστῇ.

3) Cic. de off. I, 1. Demetrius Phalereus in hoc numero haberi potest, disputator subtilis, orator parum vehemens, sed dulcis, ut Theophrasti discipulum possis agnoscere.

Aristoteles Chalcidem se conferret, una cum illo, quamquam auctoritate et fama magistro inferiorem, Athenis docuisse statuere licet. Quae conjectura et aliis rebus stabiliri videtur. Legimus enim apud Phot. Bibl. Cod. 267. p. 496 b., Dinarchum, cum adolescens venisset Athenas, quo tempore Alexander in Asiam duxit exercitum, Theophrasto operam dedisse versatumque esse cum Demetrio Phalereo; quod probat etiam Dionys. Din. c. 2. *Δείναρχος Θεοφράστῳ τε συνεγένετο καὶ Δημητρίῳ τῷ Φαληρεῖ κτλ.* cf. Plut. p. 850. B. C. Unde sequitur, non solum Theophrastum jam, priusquam successor fieret Aristotelis, Athenis docuisse, sed etiam Demetrium Phalereum jam illo tempore claritatem adeptum fuisse. Deinde compertum habemus, Demetrium eo tempore, quo Theophrastus Aristoteli successit, Theophrasti familiaritate usum esse, id quod inde quoque apparet, quod Demetrio inprimis auctore factum est, ut Theophrastus post Aristotelis mortem, anno, postquam Chalcidem concessisset, proprios, in quibus doceret, hortos nancisceretur [1]). Itaque Demetrium Theophrasto, jam priusquam is successerat Aristoteli, operam dedisse verisimile est. Sed quaeritur, quo tempore Demetrium Theophrasti institutione usum esse verisimile sit. Aristoteles, quum etiam perfecta Alexandri institutione per longius tempus in Macedonia commoratus esset, demum Ol. III. 2 Athenas venit. Facile autem fieri poterat, ut Theophrastus, qui prius Platonem et serius Aristotelem audiverat, maturam aetatem ingressus, jam ante Ol. III. 2. Athenas se conferret ibique doceret. Id constat, Theophrastum jam hoc tempore, id quod ex iis ipsis, quae de Dinarcho traduntur, apparet, tam probatum fuisse magistrum, ut orationis suavitate et praeclara dicendi facultate etiam eodem tempore, quo Aristoteles Athenis florebat, discipulos ad se alliceret eorumque animos teneret, quum praesertim non de ipsius philosophiae disciplinis sed de reipublicae gerendae ratione arteque dicendi disseruisse videatur, in qua Aristotelem, quem eloquentiae magistrum Athenienses parvi aestimarent, illo longe inferiorem fuisse constat. Quae quum ita sint, nihil impedit, quominus Demetrium Ol. 111. et 112 Theophrasti institutione usum esse statuamus.

Jam vero quaeritur, quid potissimum Demetrium permoverit, ut eo tempore, quo Aristoteles maxime florebat, placitis ejus ac doctrina neglecta, Theophrasto

[1]) *Λέγεται δ' αὐτὸν* (Theophrastum) *καὶ ἴδιον κῆπον σχεῖν μετὰ τὴν Ἀριστοτέλους τελευτὴν, Δημητρίου τοῦ Φαληρέως, ὃς ἦν καὶ γνώριμος αὐτῷ, τοῦτο συμπράξαντος.*

se dederet [1]). Quae res, etsi a veteribus nihil de ea memoriae proditum est, fortasse ita expediri potest, ut, quatenus Theophrastus a magistro deflexerit, respiciamus. Quibus expositis, Demetrium his potissimum rebus permotum fuisse, ut Theophrasto in disciplinam se daret, concludi poterit. Sed ne diutius legentes moremur, qua ratione ac via in philosophia uterque sit usus, explicando, pauca haec sufficiant. In plurimis rebus Aristoteles et Theophrastus discipulus plane inter se consentiebant, hoc uno excepto, quod in universum discipulus magistro latius vagabatur. Sed aliud erat, quod Demetrium ad Theophrastum adduceret, magnam illam dico dicendi artem, qua Theophrastus ita excellebat, ut Aristoteles ipse pro nomine Tyrtamo ei nomen inderet Theophrasti. [2]) Qua arte quum excelleret Theophrastus et longe superaret magistrum, Demetrium Phalereum, qui eloquentiae maxime et reipublicae gerendae studiis se tradere cuperet, statim illi se dedisse verisimile est; quem quam diu audiverit, non constat. Alius rhetoris institutione Demetrius non usus esse videtur, sed exempla magnorum illius temporis oratorum, quos audiverat, — Demosthenem se audivisse Demetrius ipse dicit in Plut. Dem. c. 2. — permultum ad ejus eloquentiam contulisse verisimile est. Itaque factum est, ut Demetrius, qui praeter eximias ingenii dotes summum discendi ardorem afferret, ab eruditissimo sui temporis philosopho institutus cum philosophiae tum eloquentiae studiis, non solum varia multiplicique rerum doctrina ingenium excoleret, atque eruditissimus sui temporis oratorum et esset et haberetur, sed eloquentiae etiam et philosophiae studiis cum administrandae civitatis arte conjunctis, tanquam unicum inter Graecos exemplum, praeter ceteros excelleret. „Nam nemini video, inquit Cicero, [3]) Graecorum adhuc contigisse, ut idem utroque in genere elaboraret se-

[1]) Multos habebat condiscipulos, quorum familiarissimus ei erat Menander comicus. Semper illi arctissimo amicitiae vinculo conjuncti erant, ita ut, cum Demetrius Phalereus e civitate postea ejectus mortis condemnaretur, paulum abesset, quin una cum eo Menander ad supplicium duceretur. cf. Diog. L. V. 83.

[2]) Strabo XIII. p. 618. *Τύρταμος δ' ἐκαλεῖτο ἔμπροσθεν ὁ Θεόφραστος, μετωνόμασε δ' αὐτὸν ὁ Ἀριστοτέλης Θεόφραστον, ἅμα μὲν φεύγων τὴν τοῦ προτέρου ὀνόματος κακοφωνίαν, ἅμα δὲ τὸν τῆς φράσεως αὐτοῦ ζῆλον ἐπισημαινόμενος. ἅπαντας μὲν γὰρ λογίους ἐποίησε τοὺς μαθητὰς Ἀριστοτέλης, λογιώτατον δὲ Θεόφραστον.* cf. Quint. Inst. Orat. X, 1, 83 loquendi nitor ille divinus.

[3]) de Off. I, 1.

quaeretarque et illud forense dicendi et hoc quietum disputandi genus: nisi forte Demetrius Phalereus in hoc numero haberi potest, disputator subtilis, orator parum vehemens, dulcis tamen, ut Theophrasti discipulum possis agnoscere." Dolendum est, fere nihil ex Demetrii scriptis aetatem tulisse, ex quibus, quantum momenti Theophrasti disciplina ad Demetrii ingenium excolendum habuerit, cognosci possit, quare veterum testimoniis hac in re nobis sufficere debent. Neque tamen negari potest, Theophrasti discipulum non solum in oratione ac dicendi genere — uterque eorum dulci utebatur sermone [1] — sed in multis aliis quoque rebus agnosci posse. Itaque gubernandae civitatis quoque praecepta ex Theophrasti disciplina eum hausisse ait Cicero de leg. III, 36. „Post a Theophrasto Phalereus ille Demetrius mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum otioque non modo in solem atque pulverem, sed in ipsum discrimen aciemque produxit. Nam et mediocriter doctos magnos in republica viros et doctissimos homines non nimis in republica versatos multos commemorare possumus. Qui vero utraque re excelleret, ut et doctrinae studiis et regendae civitatis princeps esset, quis facile praeter hunc inveniri potest?"

Maxime autem celebratur a veteribus Demetrii Phalerei eloquentia, quae inprimis in civitate plurimum valuisse narratur, quae qualis in ipso fuerit, quum ex ipsius Demetrii scriptis cognoscere non liceat, utpote quae ad unum omnia perierint, in Ciceronis tamen, locupletissimi hac in re auctoris, testimonio acquiescere licet. Sed haec omnia jam in alteram commentationis partem cadunt, quare, ne idem repetamus, hic est subsistendum.

Sed hic memorandum et explanandum est, quantum Theophrasti de rebus publicis sentiendi ratio in Demetrio valuerit, quippe quum tanta inter illos sententiarum consensio fuerit, ut easdem in civitate partes secuti esse et Macedonum imperio favisse videantur. Sed omnes omnino illius temporis philosophos,

---

[1] Ita Theophrastus ab ipso magistro describitur in narratiuncula illa apud Gellium N. A. XIII. 5., in qua Aristoteles Theophrastum Lesbium comparat cum vino Lesbio, Eudemum cum Rhodio, quorum alterum nominat firmum et jucundum, alterum autem, quamquam utrumque oppido bonum, ἥδιον. »Id ubi dixit, nemini fuit dubium, quin lepide simul et verecunde successorem illa voce sibi, non vinum delegisset. Is erat e Lesbo Theophrastus, homo suavitate insigni linguae pariter atque vitae.«

qui Athenis versarentur, idem de rebus publicis sensisse videmus, unde factum erat, ut propter mentem a populari ratione alienam iis eorum, qui populari imperio favebant, suspicionem venirent. Quod igitur discipulis Platonis acciderat, ut amicorum τυραννίδος infamia aspergerentur, idem redit in Aristotele ejusque discipulis, qui ipsi in numerum eorum, qui a Macedonum et optimatium partibus starent, referri solent. Ita factum est, ut Aristoteles, qui Alexandro vivo Athenis honoratissimus esset, statim post illius mortem, quum manifesti criminis in rempublicam commissi argui non posset, ἀσεβείας accusatus Athenis expelleretur.[1] Propter eandem causam Theophrastus quoque ab Agnonide ἀσεβείας accusatus esse videtur. Sed nihil is assecutus erat, ita ut Theophrastus eximia etiam posthac laude apud Athenienses ad mortem usque floreret. Idem spectat, quod Diog. L. V. 38 narrat, Theophrastum cum ceteris philosophis Sophocle auctore extra Athenas paulisper exsulasse. Illam autem legem, qua in omnes philosophos cura custodiaque reipublicae intendebatur, statim postquam Demetrius Athenarum princeps expulsus est, quo tempore ii, qui populari imperio favebant, de Macedonum optimatiumque partibus victoriam deportaverant, latam esse verisimile est. — In tali autem philosophorum statu atque conditione maxime eorum de republica cogitandi et agendi rationem in suspicionem vocatam esse, patet ex Demochare (ap. Euseb. Praep. Ev. XV. 2), qui Sophoclem non solum defendit, sed et ipse philosophos valde reprehendit et accusat: *οὐ γὰρ Ἀριστοτέλην μόνον, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους κακῶς εἴρηκεν. ἔτι γε μὴν αὐτὰς τὰς διαβολὰς σκοπῶν ἄν τις ληρεῖν αὐτὸν φαίη· λέγει γὰρ ἐπιστολὰς Ἀριστοτέλους ἁλῶναι κατὰ τῆς πόλεως τῶν Ἀθηναίων κτλ.* Sane quidem negari non potest, tales accusationes non plane fictas et commenticias fuisse, quum jam Platonem populari imperio aperte adversatum esse sciamus, quum Aristoteles ejusque discipuli unius dominatum omni reipublicae formae longe praeferendum esse docuerint.[2] Qui quum ita de republica sentirent, facile fieri poterat, ut aliter sentientibus offensioni essent. Itaque non mirum est, quod iidem salutem Graeciae civitatum in Macedonum principatu sitam esse crederent, quod Aristoteles Philippi, Alexandri, Antipatri, Theophrastus Cassandri familiaritate utebatur. — Quibus ita examinatis et perspectis, non offendimur, quod De-

[1]) cf. Stahr. Aristotel. I. p. 142, 159.
[2]) cf. Stahr. II. p. 188.

metrium a Theophrasto institutum ejusque placitis ac praeceptis imbutum easdem quas ille Macedonum et optimatum partes secutum esse videmus.

Restat denique, ut uno verbo percurramus, Theophrasti discipulum agnosci posse in ipsis quoque philosophicis rebus praecipue in ethicis, in quibus popularem ejus rationem secutus esse videtur. Theophrastum autem de moribus parum severe praecepisse intelligitur ex hisce apud Gellium I, 3, 23: Theophrastus — parva, inquit, et tenuis vel turpitudo vel infamia subeunda est, si ea re magna utilitas amico quaeri potest. Sicuti Demetrium, ita Theophrastum quoque externis rebus, quas sane omnis Peripateticorum philosophia pluris quam ceterae aestimasse dicitur, multum momenti ad bene beateque vivendum tribuisse, videmus ex Cic. Tusc. III, 28. cf. Tusc. V, 9. Acad. post. I, 9. de fin. V, 5.

Cap. III.

Quas in republica partes egerit Demetrius, inprimis per bellum Lamiacum.

Ut publicarum rerum curam in Demetrio perspiciamus, universum Atheniensium reipublicae statum, qualis tum fuerit, necessarium mihi videtur paucis describere. Pugnae Chaeronensis dies universae Graeciae et gloriam dominationis et vetustissimam libertatem finiverat [1]. Veruntamen Athenienses sub Macedonum potestatem redacti, quamquam a Philippo ejusque filio Alexandro summa moderatione tractati, libertatis amorem nondum amiserant, imo vero a bonis civibus, ut Demosthene aliisque inflammati, Macedonum imperio infesti pristinam libertatem recuperare saepius tentaverant. Quamquam praetermiserant occasionem libertatis recuperandae ab Harpalo oblatam neque societatem inierant cum Lacedaemoniis, qui ante pancos annos sub Agide II. Macedonum imperium abjicere conati erant, tamen in suspicionem Alexandri venerant, qui quum timeret, ne ex illo libertatis amore nondum exstincto periculum sibi immineret, litteras misit in Graeciam (Ol. 114, 1), quibus Graeci praeconio exsules praeter mortis damnatos

---

1) Justin. IX, 3.

recipere jubebantur[1]). Quibus literis coram universa Graecia in conventu Olympico recitatis, odium Graecorum inprimisque Atheniensium valde inflammatur, quia exsules illi fere omnes optimates vel tyranni non legibus pulsi erant, sed per factionem principum[2]) atque iidem principes verebantur, ne revocati potentiores in republica fierent. Huc accedebat, quod literae illae non ad Graecos ipsos, sed ad exsules, qui fere omnes Olympiam convenerant, datae erant, simulque additum erat jussum, ut, qui resisterent, vi cogerentur. Nam hac ratione Alexander potentiam suam labefactatam in Graecia redintegrare studebat, quum exsules, qui supra viginti millia fuisse narrantur[3]), Macedonicae parti fautores esse sperare posset. Maxime autem Atheniensium animos odio incenderat, quod insuper insulam Samum, quam ut cleruchiam tenuerant, iis eripere studebat. Itaque Athenienses, qui ad bellum parati exsules recipere recusabant, se conjunxerunt cum Aetolis, quorum injurias incolis Oeniadarum expulsis commissas se persecuturum esse Alexander minatus erat.[4]) Ita in occulto summaque cautione bellum parabatur, quum nuntio Alexandri mortis Athenas perlato animi Atheniensium valde moventur.[5]) Alii in priori sententia sua perseverantes admonent, tunc aut nusquam tempus adesse Macedonum jugum excutiendi; optimam enim libertatis recuperandae spem esse datam, alii, ut Demades, vilis ille civium suorum proditor, et Phocion,[6]) multitudinem tumultuantem coërcere student. At quantumvis divites belli tumultum avertere studerent, quippe quod tot pericula crearet totque munera publica ipsis imponeret, tamen ex Hyperidis et Leosthenis rogatione bellum decernitur. Bellum Lamiacum geritur, in quo Antipater, cui post Alexandri mortem Macedonia et Graecia tuendae sorte evenerant, quum proelio victus et Lamiae inclusus[7]) jam ad omnes, quas Leosthenes tulerat, pacis condi-

[1]) Justinus XIII, 5. praeter caedis damnatos Diod. XVIII, 8. πλὴν τῶν ἐναγῶν. Curtius X, 7. praeter eos, qui civili sanguine aspersi erant.

[2]) cf. Grauert. p. 236.

[3]) Diod. XVIII, 8.

[4]) cf. Diod. l. l. Plut. Alex. p. 693. c.

[5]) cf. Grauert. p. 239.

[6]) Plut. Phoc. 23.

[7]) Victoria Leosthenis Athenis nuntiata summo gaudio impleverat omnes Athenienses

tiones accipiendas paratum se ostendisset, Graecos, Leosthene duce amisso, ad Cranonem ad incitas redegit. Itaque Athenienses abjectis animis legatos de pace impetranda ad Macedonem victorem miserunt, et gravius quam antea jugum receperunt. Inter durissimas pacis conditiones et haec erat, ut oratores, qui Macedonicae societati adversarentur et bellum suasissent, inprimis Demosthenes et Hyperides, traderentur. Qui quum hoc periculum providissent, Athenis fugerant; sed Demade auctore ab Atheniensium populo citati quum non apparuissent, absentes mortis condemnantur.[1] Quare Antipater multos misit, qui fugitivos vivos aut mortuos ad se afferrent. Hi Archia duce Aeginam properant, ubi in sacris Aeaci Hyperidem, Himeraeum,[2] Demetrii Phalerei fratrem, Aristonicum, Eucratem invenerunt, qui ex templo abrepti et ad Antipatrum missi crudeliter interficiuntur. Demosthenes, ne in hostium manus veniret, in insula Calauria veneno semet ipsum interemit. Deinde Antipater, in arce Munychia, quae media inter Phalereum et Piraeum, natura atque arte valde munita Urbi et Piraeo dominabatur, praesidio collocato gravissima quaeque in Atheniensium civitatem consulere coepit. Primum id perfecit, quod inter conditiones retulerat, ut reipublicae forma mutata, amplius non omnes cives honoribus et publicis negotiis fungerentur, sed ii, qui minorem duobus millibus drachmarum censum haberent, ab omni publico officio et munere vacarent. Id eo valebat, ut pauperes, qui quum nihil amittere possent,[3] in pace non acquiescentes, belli commoda spectarent, rebus novandis prohiberentur. Civium juribus ita ex censu (ἀπὸ τιμήσεως) descriptis, numerus civium ad novem millia redactus, pauperiorum duodecim millia civitate privata, horum autem multis sedes et agri in Thracia ab Antipatro assignati sunt. Plut. Phoc. c. 28. τῶν ἀποψηφισθέντων τοῦ πολιτεύματος διὰ πενίαν ὑπὲρ μυρίους καὶ δισχιλ-

praeter Phocionem, qui, victoriis nihil commotus, exclamasse dicitur: πότ' ἄρα παυσόμεθα νικῶντες; cf. Plut. Phoc. c. 23.

[1]) Plut. Phoc. c. 29. Demosth. 28. Pausan. I, 8, 4.

[2]) Refellenda hic est sententia Bonamici in Comment. Acad. Inscr. P. VIII. p. 161. Demetrium Phalereum, Antipatro Athenas occupante, et ipsum una cum fratre Himeraeo fugisse mortisque condemnatum esse; qui error ex ipsa Demetrii conditione satis patet.

[3]) cf. Heynii Opusc. III. p. 383.

ους γενομένων. οὗτοι [illegible]. ἔδοξαν σχέτλια καὶ ἄτιμα πάσχειν, οἱ δὲ διὰ τοῦτο τὴν πόλιν ἐκλιπόντες καὶ μεταστάντες εἰς Θρᾴκην, Ἀντιπάτρου γῆν καὶ πόλιν αὐτοῖς παρασχόντος, ἐκπεπολιορκημένοις ἐῴκεσαν. Diod. XVIII, 18. τὴν μὲν πολιτείαν μετέστησεν ἐκ τῆς δημοκρατίας, καὶ προσέταξεν ἀπὸ τιμήσεως εἶναι τὸ πολίτευμα, καὶ τοὺς μὲν κεκτημένους πλείω δραχμῶν δισχιλίων κυρίους εἶναι τοῦ πολιτεύματος καὶ τῆς χειροτονίας, τοὺς δὲ κατωτέρω τῆς τιμήσεως ἀπήλασεν ὡς ταραχώδεις ὄντας καὶ πολεμικοὺς [illegible] τῆς πολιτείας, καὶ τοῖς βουλομένοις χώραν ἔδωκεν εἰς κατοίκησιν ἐν τῇ Θρᾴκῃ. Οὗτοι μὲν οὖν ὄντες πλείους τῶν δισμυρίων[1]) καὶ δισχιλίων μετεστάθησαν ἐκ τῆς πατρίδος, οἱ δὲ τὴν ὡρισμένην τίμησιν ἔχοντες περὶ ἐννακισχιλίους ἀπεδείχθησαν κύριοι τῆς τε πόλεως καὶ τῆς χώρας, καὶ κατὰ τοὺς Σόλωνος νόμους ἐπολιτεύοντο. τὰς δὲ κτήσεις εἰάθησαν ἔχειν ἀναφαιρέτους.

Ita, quum locupletioribus solis reipublicae cura commissa esset, paucorum dominatus valebat.[2]) Qui etsi acerbissimus erat majori Atheniensium numero,[3])

[1]) Dissentiunt inter se Plutarchus et Diodorus de numero eorum, qui infra censum ab Antipatro finitum a rebus publicis fuerint exclusi. Rectius egisse videtur Plutarchus, quia, quum Demetrius Phalereus Atheniensium censum ageret, invenit cives Athenienses δισμυρίους πρὸς τοῖς χιλίοις, postquam cives ab Antipatro remoti auspiciis Polysperchontis redierant (Diod. Sic. XVIII, 66.), qui, si XII millia eos fuisse ponimus, additi IX millibus civium, conficiunt numerum XXI millium. Deinde autem civium Atticorum numerus plerumque XX millia aequabat. Σχοχεῖτε γάρ, Demosthenes ait Orat. in Aristog. I. p. 489, εἰσὶν ὁμοῦ δισμύριοι πάντες Ἀθηναῖοι. Itaque Diodorum errasse statuunt Wesseling. ad h. l. et Bonamy Mém. de l'Acad. des Inscr. VIII. p. 170: „Ces 21000 citoyens qu'on trouva, me feroient croire, qu'il y a une faute dans Diodore de Sicile, quand il compte 21000 citoyens qui furent chassez de leur patrie, lorsqu'Antipater se rendit maistre d'Athènes: car il n'y a pas d'apparence que n'estant resté que 9000 citoyens alors le nombre s'en fut accru jusqu'à 21000 en quatre ans de temps. Ainsi au lieu de ces mots etc. cf. Boekh. St. d. Ath. I. p. 38. II. p. 20.

[2]) Quare rogatus, quid esset oligarchia, Plato regerit eleganter, τὴν ἀπὸ τιμημάτων πολιτείαν, ἐν ᾗ οἱ μὲν πλούσιοι ἄρχουσι, πένησι δ' οὐ μέτεστιν ἀρχῆς de rep. L. X. p. 550 C. et Aristoteles diversas dominatus paucorum species explicaturus, alias ἀπὸ μακρῶν τιμημάτων, alias ἀπὸ μικρῶν τιμημάτων, cum pro majore minoreve censu ad honores admittuntur cives, commemorat Polit. L. IV. 5. et 9. Wess.

[3]) Quae res falso dijudicatur a Diodoro l. l., qui Antipatrum humane et leniter in Athenienses non meritos consuluisse dicit. cf. Grauert. p. 284. Idem judicavit Mannert

tamen rem omnem ab Antipatro prudenter et considerate institutam esse negari non potest. Usque ad hoc tempus secundum censum anno 378 a. Chr. habitum [1]) ii soli, qui bis mille et quingentas drachmas habebant, publica onera tulerant, quum ii, qui minus habebant, multitudine in concione praevalentes, de reipublicae opibus parum solliciti de rebus gerendis decreverant, iidemque suffragia in concionibus et judiciis venumdarent, vel iis tantum consiliis faverent, quae ipsis statim commoda futura essent. In tali Atheniensium civitate Antipater nisi reipublicae forma ita mutata, ut turbulentos omnes et belli cupidos a publicis rebus removeret, pacem firmare non poterat; nam apparebat, fore, ut, quibus ad bellum gerendum vectigalia solvenda essent, ii quam diutissime pacem servarent. Itaque ditiores quam magis salutem quam reipublicae splendorem et libertatem spectantes, utpote Macedonibus dediti, rempublicam regebant. Antiqui reipublicae magistratus, ut archontes, strategi et plurimae Solonis leges retinebantur quidem, sed potentia populi et oratorum erat sublata, quare Suidas v. Ἀντίπατρος (Ruhnken. c. I. p. 337) κατέλυσε τὰ δικαστήρια καὶ ῥητορικοὺς ἀγῶνας, et Pausanias VII. 10. aperte dicit: Μακεδόσιν ἐδουλώθησαν. Nihilominus foris pax, domi quies erat, ita ut multi celeriter fortunati et opulenti fierent [2]). Hoc igitur tempore Demetrius, quum jam paucis annis ante ad rempublicam accessisset, auctoritate coeperat valere. Sed principes erant Phocion et Demades [3]), qui duo viri, quanquam a diversis studiis [4]) et causis profecti in Macedonicarum partium favore consentiebant. Attamen hic maxime respiciendum est, quam rationem in administranda republica secutus sit Phocion, quum Demades brevi tempore proditionis suspectus interemtus

---

p. 46. et Heyne: Res a Phocione etc. Opusc. III. p. 558. Contraria autem sententia est Plutarchi (Phoc. p. 754. 4 d.), Polybii (IX, 29), Pausaniae (VII. 10).

1) cf. Droysen. p. 93.

2) Diod. XVIII. τὸ λοιπὸν ἀταράχως πολιτευόμενοι καὶ τὴν χώραν ἀδεῶς καρπούμενοι ταχὺ ταῖς οὐσίαις προσανέδραμον.

3) cf. Grauert p. 296.

4) Antipater ipse dicere solebat, utrumque sibi amicum esse, quorum alteri ut aliquid acciperet, persuadere, alterum, etsi muneribus et praemiis cumulatum, satiare non posset. (Plut. Phoc. p. 255. b.)

sit [1]) (Ol. 115, 3), Phocionis [2]) autem ratio ad Demetrii Phalerei studia ac consilia proxime accederet. Persuasum enim ille habebat, antiquam reipublicae libertatem nullo modo restitui posse propter Graecorum imbecillitatem atque Macedonum nimiam potentiam ideoque maxime cavendum esse, ne bellis frustra susceptis reipublicae status et conditio in deterius mutaretur; rempublicam enim Atheniensium navi esse simillimam, quae procellis ac fluctibus jactata, quum integra servari non posset, enitendum esse, ut saltem a naufragio prohiberetur. Hoc Phocionis judicium cum et nosset et probaret Demetrius noster, non est mirandum, quod Atheniensium populum reipublicae administrandae minime aptum, adeoque imperio populari optimatium vel paucorum principatum longe esse praeferendum censuit. Itaque ad optimatum partes, quibus ipse Antipater favebat, quum jam antea eas secutus esset, porro se applicavit, ita ut Phocioni in republica administranda comitem se praeberet ac socium. Ut autem Demetrius Phalereus statim ab initio ad optimatium et Macedonum partes accederet, inde quoque factum esse videtur, quod discipulus Theophrasti Peripateticorum sectae erat addictus, qui quum fere omnes Aristotelis [3]) magistri vestigia premerent, populari imperio adversantes a Macedonibus et optimatibus stare solebant. Theophrasti disciplina et familiaritate Demetrii Phalerei et ipse Dinarchus [4]) usus erat, id quod apud illum quoque multum valuisse conjicias. Atque Phocion ipse ex philosophorum disciplina ad rempublicam accesserat, qui Platonem [5]) audiverat et Xenocratis sanctitatem vitae morumque severitatem exemplum sibi proposuisse videtur. Itaque Theophrasti disciplina et familiaritas, qua Demetrius utebatur, animum ejus impulisse videtur, ut optimatium factionem sequeretur. —

Jam vero accuratius est quaerendum, qualem se praestiterit in republica Demetrius cum Phocione conjunctus et ante bellum Lamiacum et praecipue, dum id

---

[1]) Arrian. apud Phot. cod. 92. p. 217. Plut. Phoc. 30. Dem. 31. Diod. XVIII, 48.

[2]) Erant eo tempore Athenis duae factiones, quarum una populi causam agebat, altera optimatum. In hac erant Phocion et Demetrius Phalereus. Corn. Nep. Phoc. III.

[3]) Aristotelem in Politicis Atheniensium populari imperio adversatum esse constat.

[4]) Dionys. Din. 2. Plut. p. 850. B. C. Phot. Bibl. Cod. 267. p. 496. b.

[5]) Plut. p. 743. D. ἔτι μειράκιον ὤν.

gerebatur. Quae in re enucleanda plurima ex ipsius Phocionis agendi et cogitandi ratione concludi debent, quum rerum a Demetrio illo tempore gestarum perraro mentionem fieri inveniamus. Phocion, cujus de moribus non est, quod nunc pluribus disputemus, rempublicam Atheniensium nullis humanis consiliis opibusque servari posse ratus, quominus praepotentibus Macedonum opibus succumberet, maxime dissuaserat,[1] ne bellum susciperent contra Macedones. Censebat enim ad aggrediendos hostes opes Graecorum satis magnas esse, ad bellum gerendum vires minime sufficere. Quippe copias a Leosthene conscriptas multis mirantibus et Phocionem, annon bene instructas putaret, rogantibus, bene, inquit, ad *στάδιον*, at *δόλιχον* belli exhorresco, quia neque stipendium civitati aliud, nec naves nec milites sint.[2] Praeter Phocionem etiam alios bello adversatos esse tradit Plutarchus, praecipue divites, vel, ut ait Diodorus, *κτηματικούς*, qui, quietis dulcedine deliniti, ne ipsi oneribus belli opprimerentur, valde timerent, praeterea autem omnes, qui eandem quam Phocion sententiam sequebantur, in quibus et ipse Demetrius Phalereus procul dubio fuit, quem hoc tempore jam per quatuor vel quinque annos in rebus publicis versatum esse vidimus. Quamquam autem Demetrius Phalereus belli Lamiaci tempore imprimis orationis suae suavitate Atheniensium animos sibi conciliaverat, ita ut magna apud eos valeret auctoritate,[3] tamen ejus rei nulla fit mentio, id quod inde factum videtur, quod tum cum Phocione arctissime conjunctus, illo tamen auctoritate inferior fuit, et ea ipsa tempestate publico caruit nec a bello illo dehortatus est. Ipsi autem bello Lamiaco, quandoquidem non amplius vitandum erat, Demetrium interfuisse verisimile est; nam vituperat Demosthenem (Plut. Dem. c. 14.), quod is, qui majorum praeclare facta laudet, in bello ipse se ignavum praestiterit. Neque vero Demetrius Phalereus cum iis confundendus est, qui Antipatri gratia aut muneribus pessumdati Atheniensium civitatem in societate Macedonica reti-

[1] Grauert, p. 242. id vitio et opprobrio vertit Phocioni morum sanctitate eximio. Aliter judicat Heynius Opusc. III. p. 352: Phocion, si quid aliud, bene perspexit hoc etc.

[2] Plut. p. 742. A. B.

[3] Plurimum jam illo tempore valuisse videtur, siquidem Plut. Demetr. Poliorc. c. 10.

nere omnibus viribus anniterentur, ut Aeschines, Demades, Pytheas, humillimi Macedonum servi, Callimedon, homo nequissimus, alii, [1]) sed, ut Phocion, virtutibus reipublicae virtutique civium diffisus, hunc rerum statum conservare quam bellis frustra gerendis in deterius vertere maluit. Quare quum ea pars, quae inhonesta consilia tutis anteferebat, vicisset, et eorum, qui studiosissimi Macedonum vel muneribus corrupti habebantur, ut Pytheas [2]), Callimedon, [3]) alii in exilium mitterentur, in Phocionem et Demetrium Phalereum, qui idem suaserant, illo tempore nihil acerbius consuluerunt Athenienses, etsi Phocion perpetuum bellum horrebat, ita ut nuntio victoriarum Leosthenis allato, indignabundus exclamasse dicatur: πότε ἄρα παυσόμεθα νικῶντες; [4]) Itaque, Leosthene exstincto, Phocion, quamvis senem octogenarium Athenienses valde revererentur, isque ante omnes alios ad imperium belli aspirare posset, tamen hunc gravem locum non obtinuit, a quo Athenienses leniter sane et suaviter eum retinebant. [5]) Quodsi eo tempore, quo bellum illud gerebatur, auctoritas et potentia Phocionis et Demetrii Phalerei aliquantum imminuta et debilitata fuit, tamen sub finem belli, quum civitas adversis rebus afflicta privataque consilio Demosthenis, Hyperidis, aliorum patriae amicorum, qui Antipatro ad Athenas accedente, [6]) ex urbe aufugerant, neque quidquam reliquum esset nisi ut ad Macedonum amicos confugeretur ab iisque auxilium peteretur, qui soli ab interitu ceteros tueri possent, potentia eorum inprimisque Demetrii in dies magis crescere coepit, id quod nos

---

dicit: Ἀθηναῖοι δὲ ἀπολαβόντες τὴν δημοκρατίαν ἔτει πεντεκαιδεκάτῳ τὸν διὰ μέσου χρόνον ἀπὸ τῶν Λαμιακῶν καὶ τῆς περὶ Κραννῶνα μάχης λόγῳ μὲν ὀλιγαρχικῆς, ἔργῳ δὲ μοναρχικῆς καταστάσεως γενομένης διὰ τὴν τοῦ Φαληρέως δύναμιν: nam non tantum continuo post bellum valuisset, nisi ipsius belli tempore auctoritate et gratia aliqua insignis fuisset.

1) De iis cf. Wachsmuth. H. A. I, 2 p. 366. sq. et 411.

2) Plut. Demosth. p. 858. b. cf. Ruhnken. hist crit. Or. Gr. in Opusc. ed. Friedemann. p. 345.

3) *Καλλιμέδων ὁ Κάραβος.* cf. Plut. Phoc. p. 754. a. 758. b. Aeschin. Epist. 12.

4) Plut. Phoc. c. 23.

5) Plut. Phoc. p. 752.

6) Illo tempore Himeraeus, Demetrii Phalerei frater, a Macedonum studiis aversus periit.

offendere non debet, quum illos viros bene sibi consulturos esse Athenienses sperarent. Inter legatos, qui Phocione et Demade ducibus ad Antipatrum mittebantur, etiam Demetrium Phalereum, cujus propter factionem et orationis suavitatem fiducia maxima erat apud Athenienses, fuisse verisimile est, id quod indicare videtur locus Demetrii de eloc. 289. *Πολλάκις δὲ ἢ πρὸς τύραννον ἢ ἄλλως βίαιόν τινα διαλεγόμενοι καὶ ὀνειδίσαι ὁρμῶντες χρῄζομεν ἐξ ἀνάγκης τοῦ σχήματος ὅλου, ὡς Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς πρὸς Κρατερὸν τὸν Μακεδόνα ἐπὶ χρυσῆς κλίνης καθεζόμενον μετέωρον καὶ ἐν τρυφερᾷ χλαμύδι καὶ ὑπερηφάνως ἀποδεχόμενον τὰς πρεσβείας τῶν Ἑλλήνων σχηματίσας εἶπεν, ὅτι ὑπεδεξάμεθά ποτε πρεσβεύοντας ἡμεῖς τούσδε* [1]) *καὶ Κρατερὸν τοῦτον· ἐν γὰρ τῷ δεικτικῷ τῷ τοῦτον ἐμφαίνεται ἡ ὑπερηφανία τοῦ Κρατεροῦ πᾶσα ὠνειδισμένη ἐν σχήματι.* Qui locus, quamquam mancus et obscurus, nonnisi ad tempus belli Lamiaci referri potest. Quum autem multae legationes [2]) hoc tempore ad Macedones missae sint, non satis patet, cui legationi Demetrius interfuisse dicatur, nisi ex Demetrii rhetoris verbis *τὰς πρεσβείας τῶν Ἑλλήνων* primam legationem statim post pugnam ad Cranonem missam, quae Atheniensium et sociorum nomine pacem componeret, intellectam esse conjicere licet. His enim legatis Antipater, se non cum foederatis, sed cum singulis Graeciae civitatibus de pacis legibus acturum esse respondit [3]). Demetrius autem adhortatur Macedones, ut clementia uterentur, recordantes, quomodo Athenienses legatos Antipatri Lamiae inclusi excepissent, quae res Demetrii libertatem indicat. Idem spectat, quod Antipater respondit legationi, cui praeerant Demades et Phocion, et *ἑτέροι* (fortasse etiam Demetrius Phalereus). *καὶ γὰρ ἐκείνους συγκλείσαντας εἰς Λαμίαν τὸν Ἀντίπατρον τὰς αὐτὰς ἀποκρίσεις πεποιῆσθαι πρεσβεύσαντος αὐτοῦ περὶ τῆς εἰρήνης.* —

Postquam autem Antipater paucorum sive optimatum principatum in republica Atheniensium ita instituit, ut non nisi eos ad res publicas admitteret, qui censum haberent bis mille drachmarum seu viginti minarum, Phocionis omnino per

---

[1]) cf. Gregor. Corinth. *περὶ μεθόδου δεινότητος* §. 71. ubi legitur *ἡμεῖς πρεσβεύοντα τόνδε.* Verbis *τούσδε πρεσβεύοντας* vel *τόνδε πρεσβεύοντα* Antipatrum significatum esse non est dubium.

[2]) cf. Droysen. p. 87. sq.

[3]) cf. Diodor. XVIII. 17., etsi is non legatos sed *κήρυκας* tantum memorat, qui legatis in exteras urbes missis addi solebant. cf. Dissert. mea inaugur. de praecon. Graec. Marb. 1845. p. 54.

haec tempora auctoritas maxima fuit, cum apud Antipatrum gratia multum valeret, Menyllum autem Munychiae praefectum necessarium suum haberet. [1])

Inde sequitur, ut Plutarchi verba in Dem. Pol. c. 10. ἀπὸ τῶν Λαμιακῶν καὶ τῆς περὶ Κρατῶνα μάχης λόγῳ μὲν ὀλιγαρχικῆς, ἔργῳ δὲ μοναρχικῆς καταστάσεως γενομένης διὰ τὴν τοῦ Φαληρέως δύναμιν non ita sint urgenda, ut Demetrium statim inde ab hoc tempore tantam auctoritatem tantamque potentiam adeptum esse credamus, ut ideo reipublicae forma μοναρχική fuisse dicatur; quamquam Demetrium arctissimo vinculo cum Phocione conjunctum et orationis suavitate adjutum plurimum in civitate valuisse negari non potest. Plurimum autem ad auctoritatem et potentiam Demetrii augendam contulerat mors tot excellentium et reipublicae gerendae scientissimorum oratorum, quibus bello Lamiaco amissis Athenienses ad Demetrium, qui in utraque re, in republica gerenda et arte dicendi, excelleret, confugerunt.

Neque tamen plane interierat altera illa factio, cujus maxima pars ex infima plebe constans a republica administranda remota, occasione idonea oblata, optimatum amicos in iisque Demetrium quoque Phalereum et Phocionem, quippe qui auctores essent pacis cum Antipatro conciliatae sublatique imperii popularis, odio suo prosequebatur. —

Cap. IV.

De priori ejus exsilio et condemnatione.

Magna rerum conversio facta est apud Athenienses morte Antipatri, (Ol. 115, 3. 318 a. Chr.) qui, quum animos Macedonum a crudeli suo et iracundo filio Cassandro aversos videret, ad Polysperchontem, ducem Macedonibus gratissimum, virum rerum usu et annis prudentem, sed generosisensus expertem, ad miseras artes et fraudes abjectum, nec regni sed suae saluti intentum, summam administrationem regni detulerat. Cassander autem aegre ferens, se a primo gradu

---

[1]) Ab initio sane Demades reipublicae gerendae particeps fuerat, sed illo mortuo Phocion unus ad suam et Antipatri voluntatem Atheniensium civitatem gubernaverat. cf. Grauert. p. 297. Droysen. p. 180.

dejectum, de recuperanda dignitate consilia iniit, ut patris voluntatem ad irritum redigeret. Itaque quum apud Macedones se nihil effecturum esse intellexisset, clam sibi conciliavit in Asia Antigonum ac Ptolemaeum et Nicanorem, quem fidissimum sibi habebat, quam celerrime ex Macedonia misit, qui, priusquam nuntius Antipatri mortis Athenas perlatus esset, Meryllo, ab Antipatro Munychiae praefecto, succederet. Sed ut ea tantum memoremus, quae huc pertinent, Cassandrum, cui ab Antigono libenter auxilium erat promissum, quamvis in Graeciam invadere cupientem, spes ac opinio fefellerant, quum Polysperchon gravissima quadam re animos Graecorum sibi conciliasset. Nuntio enim eorum, quae Cassander paraverat, sibi allato, nihil aliud, quo Cassandri consilia discuteret et Graecos amicos sibi pararet, reliquum ei videbatur, quam ut restitueret populare imperium, quod, quamvis periculosissimum esset et imperio macedonico repugnare videretur, tamen maxime ex re sua fore existimabat. Itaque Polysperchon regis Philippi Arrhidaei nomine decretum [1]) ad Graecos misit, quo Graeciae exsulibus, [2]) paucis exceptis, reditum pronuntiari jubet promittitque, se velle restituere Atheniensibus popularem libertatem, qualis Philippi et Alexandri temporibus fuerit, simulque praesidio liberare Munychiam. Quantam animorum concitationem hoc decretum apud Atheniensis effecerit, quis est, quin videat! Sed quantis discordiis simul omnia misceri necesse erat! Plebs irritata potentiam suam receperat, qua in viros sibi odiosos consulere posset, turba exsulum, qui, quod minorem censum habebant, ex urbe ejecti erant, redierant, iracundia inflammati, quod tamdiu patria carere coacti fuerant. Sed ut ad Atheniensium statum ac conditionem redeamus, Phocion post mortem Demadis fere unus rempublicam Atheniensium administraverat; Athenienses praesidium Munichiae Demade auctore avocatum iri frustra speraverant, quum Demades proditionis suspectus ab Antipatro retinetur et paulo post ad supplicium ducitur. Qua de re ne conquesti quidem erant Athenienses, quippe qui Macedoni resistere non auderent. Paucis autem diebus postquam Nicanor, cui Phocion valde favebat, Athenas advenerat, Antipatri mortis nuntius eodem allatus erat. In tali rerum statu subito decretum Polysperchontis Athe-

[1]) Diod. XVIII. 56.

[2]) Redeundi potestas dabatur et iis, qui, quod minorem censum habebant, urbe aut discesserant aut in Thraciam traducti fuerant, et omnibus omnino, qui exsulatum iverant.

niensibus aperitur. Quamvis jam maxima Atheniensium concitatio exorta esset, qui nova libertate inflammati statim in optimates crudelissime consulturi videbantur, tamen ab initio nihil injuriae Phocioni, quem Nicanori favisse inter omnes constabat, ejusque partibus illatum est. Nicanoris conditiones, qui, ut fidi essent Cassandro, Athenienses admonebat, repudiabantur, nec quidquam vehementius postulabatur, quam ut praesidium Macedonicum ex Munychia deduceretur. Nicanor autem, ut Cassandro Athenas obnoxias retineret, prudenti consilio non modo non cessit Munychia, verum etiam Piraeum occupare studuit. In illud autem tempus incidit accusatio Phocionis, cujus causa a veteribus varie narratur. Corn. Nep. in Phoc. 2. „Quum prope ad annum octogesimum prospera pervenisset fortuna, extremis temporibus magnum in odium pervenit suorum civium, primum quod cum Demade de urbe tradenda Antipatro consenserat.[1]) Plutarchus in Phocione c. 24. ipsum accusatum dicit propterea, quod neque admiserit amicorum monita et clamores populi, et Athenienses adversus Nicanorem arma capere jussos ducere noluerit. Quidquid causae fuit, id constat, Phocionem et multos alios, qui easdem optimatum et Nicanoris partes sequebantur, proditionis accusatos et supplicio affectos esse[2]). (Ol. 115, 4). His praemissis jam ad Demetrium Phalereum redire licet, qui quum Phocionis consiliorum socius esset ab iisdemque optimatum partibus staret, aeque ac Phocion odium civium sibi contraxerat. Sed ut imminens periculum evitaret, se in fugam dederat. Itaque a Nicanore, Cassandri duce, in Munychia benigne receptus[3]), ab Atheniensibus magno in eum odio inflammatis absens mortis condemnatur. Plut. Phoc. c. 35. ἦσαν σὺν τῷ Φωκίωνι Νικοκλῆς, Θούδιππος, Ἡγήμων, Πυθοκλῆς· Δημητρίου δὲ τοῦ Φαληρέως καὶ Καλλιμέδοντος καὶ Χαρικλέους καί τινων ἄλλων ἀπόντων κατεψηφίσθη θάνατος. Minus autem fidei[4]) tribuerim Carystio Pergameno, qui apud Athen. XII. p. 542 supplicii cau-

[1]) Unde sequitur, Phocionis post bellum Lamiacum auctoritatem et potentiam non tam favore et studiis Atheniensium quam Antipatri gratia ac voluntate nisam fuisse.

[2]) Diod. XVIII. 58. 64 — 67. Corn. Nep. Phoc. 2. Plut. Phoc. 31.

[3]) Quod conjici potest ex loco Carystii Pergameni apud Athen. XII. p. 542. αὐτὸς μετὰ Νικάνορος διέτριβεν.

[4]) Hoc loco lineamenta quaedam animi, quibus descriptis de existimatione Demetrii Carystius detrahere voluit, et quidem ita, ut alterum alteri repugnet, breviter enumerantur, ut Demetrii fratrem a Macedonibus occisum et Demetrium ipsum amicitia cum

sam ita retulit; Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς Ἱμεραίου τοῦ ἀδελφοῦ ἀναιρεθέντος [1]) ὑπ' Ἀντιπάτρου αὐτὸς μετὰ Νικάνορος διέτριβεν, αἰτίαν ἔχων ὡς τὰ ἐπιφάνεια τοῦ ἀδελφοῦ θύων.

Fuerunt, qui ex his verbis concluderent, Demetrio, quod eum honorem, qui diis tantum deberetur, in fratrem suum Himaereum ab Antipatro interfectum transtulisset, violatae religionis s. impietatis actionem intentam esse. At haec sententia minus probabilis videtur. Neque enim usquam alibi memoriae proditum est, Demetrium ἀσεβείας accusatum esse, neque hoc loco id pro certo affirmatur, quum Demetrius nonnisi αἰτίαν ἔχειν h. e. suspicionem talis criminis habuisse dicatur. Id sane constat, inprimis philosophos, quorum de republica cogitandi et agendi ratio offende-

---

iisdem conjunctum fuisse, at quamquam eorum familiaritate usum, tamen fratris injuste occisi memoriam celebrasse. —

[1]) „Impietatis crimen est, inquit Casaubonus ad hunc locum, quod Demetrio hic impingitur, quasi ille fratrem suum in deorum numerum retulerit et ut ceteros deos statuis, sacrificiis festisque colere instituerit consecrato honori ejus die, quem epiphania appellabat. Graeci ἐπιφανείας deorum vocabant eorum praesentiam in terris, quando vel oculis spectandos se exhiberent, vel aliquo modo praesentiam suam testatam facerent. Dion. Halic. II. c. 95. πάνυ δ' ἄξιον καὶ τὴν ἐπιφάνειαν ἱστορῆσαι τῆς θεᾶς, ἣν ἐπεδείξατο ταῖς ἀδίκως ἐγκληθείσαις παρθένοις. —

Idem paulo post Epicureos graviter reprehendit et omnes philosophos διασύροντας τὰς ἐπιφανείας τῶν θεῶν. In Graecorum historiis frequens dictio est ἐπιφάνεια hoc sensu; Cicero praesentiam deorum latine vertit, cum ait in secundo de nat. deor. Itaque et in nostro populo et in ceteris deorum cultus religionumque sanctitas exsistunt in dies majores et meliores. Itaque evenit non temere nec casu, sed quod praesentiam saepe dii declarant, ὅτι πολλάκις τὴν ἐπιφάνειαν αὐτῶν οἱ θεοὶ ἐπιδείκνυνται. Et libro extremo: Praeterea ipsorum deorum saepe praesentiae, quales supra memoravimus etc. Inde sunt instituta festa epiphania ad celebrandam memoriam alicujus deorum ἐπιφανείας. Sic populus Christianus epiphania appellavit diem consecratum in honorem et memoriam τῆς πρώτης ἐπιφανείας Domini nostri Jesu Christi. Sic Demetrius Phalereus, ut ex hoc loco apparet, epiphania fratris sui crudeliter ab Antipatro trucidati agitabat. Existimo autem Demetrio fratrem in quiete visum aut tale quid accidisse, quod eum impulerit, ut epiphania faceret et privatam hanc solemnitatem institueret. Veteres Athenienses eos impietatis arcessivisse, qui defunctis honorem ullum diis proprium haberent, testis est Attica historia et nota omnibus calumnia in Aristotelem. Ita Casaubonus. —“

ret, ab Atheniensibus ἀσεβείας accusatos esse [1]), ut ita e medio tollerentur, sicut Aristotelem, qui in Hermeam Atarnensem paeanem composuisset, impietatis accusatum esse constat [2]). At vero aliter se res habet Demetrii Phalerei, cujus accusationem in alia re positam fuisse arbitror. Demetrius unus erat principum, qui illo tempore rempublicam Athenarum gubernabant, pacisque cum Antipatro factae auctorum, quare ei idem, quod Phocioni et aliis illis viris, quod reipublicae interitus auctores essent [3]), crimini datum esse verisimillimum est, hoc tantum discrimine intercedente, quod, quum Phocion et alii talem accusationem morte luerent, Demetrius, futura quasi praesagiens, periculum, quod ipsi imminebat, fuga evaserat. Ita Demetrium, Athenis relictis, in Munychiam ad Nicanorem, ubi ab omni periculo tutus esset, se contulisse, sed absentem mortis condemnatum esse statuere licet. Quodsi re vera, ut id denique addam, Demetrius ἀσεβείας accusatus fuisset, quod equidem valde dubitaverim, hanc accusationem prius institutam esse volo, ita ut condemnatus gravius illud periculum, quod ex causa illa publica immineret, fuga vitasse videatur.

Per totum fere annum Demetrius in Munychia exsulavit, quo tamen spatio exacto ea rerum mutatio accidit, ut Demetrius, Phocione et aliis mortuis, omnibus in republica aemulis privatus, ad summum dignitatis gradum eveheretur.

Cap. V.

Demetrius Phalereus Athenarum praefectus.

Sed retinuerat Nicanor Piraeum et Munychiam usque ad adventum Cassandri, qui quum pugna ad Megalopolin commissa Polysperchontem plane vicisset (Ol. 115, 4. 318 a Chr.), Athenas in potestatem suam redegit. Etenim Athenien-

---

[1]) cf. Wiskemanni Commentationis de ἀσεβείας γραφῇ sive de impietatis actione tum aliis viris claris tum maxime philosophis ab Atheniensibus intenta Part. I. Hersfeld. 1846.

[2]) cf. Athen. XV. 51. Aelian. V. H. III. 36.

[3]) Diod. XVIII. 66. ὅτι παραίτιοι γεγένηνται μετὰ τὸν Λαμιακὸν πόλεμον τῆς τε δουλείας τῇ πατρίδι καὶ τῆς καταλύσεως τοῦ δήμου καὶ τῶν νόμων.

ses, quum spes de Polysperchonte conceptas vanas esse viderent, paulatim ab eo se averterant. Quare in concione populi principum unus perfecerat, ut agerent cum Cassandro et legatos ad eum mitterent, qui quam aequissimis conditionibus pacem cum eo facerent. Itaque, urbe recepta, has leges Cassander Atheniensibus imposuit, illis quidem temporibus satis tolerabiles: ut urbem, agros, arma, naves, sua denique omnia sibi haberent, amicitiam et belli societatem cum ipso fideliter conservarent, Munychiam, donec debellatum esset, Cassandri milites tenerent, respublica denique veteribus legibus administraretur ab iis, quorum census esset haud minor mille drachmis, summum autem magistratum, non annuum illum, sed infinitum, unus haberet ab ipso constitutus, ἐπιμελητοῦ nomine[1]). Isque magistratus mandatus est Demetrio Phalereo, morum probitate et prudentia civibus commendato, qui, postquam per annum ut antea, dixi, in exsilio Munychiae vixit, Cassandro probatus inprimisque ejus voluntate et auctoritate electus tum propter animi et ingenii virtutes tum quia optimatum, qui cum Cassandro stabant, fautor erat, forsan etiam, quia Theophrasti philosophi disciplina, quem Cassander magni aestimabat, usus erat, civitatis principatum suscepit Ol. 115, 4., et per decem[2])

[1]) Clementius igitur Cassander cum Atheniensibus egerat quam Antipater pater, qui iis tantum, quorum census drachmarun duo millia excederet, ad honores aditum patefecerat. Diod. XVIII. 74. συνέθεντο τὴν εἰρήνην, ὥς τε τοὺς Ἀθηναίους ἔχειν πόλιν τε καὶ χώραν καὶ προςόδους καὶ ναῦς καὶ τἄλλα πάντα, φίλους ὄντας καὶ συμμάχους Κασσάνδρῳ, τὴν δὲ Μουνυχίαν κατὰ τὸ παρὸν κρατεῖν Κάσσανδρον.. καὶ τὸ πολίτευμα διοικεῖσθαι ἀπὸ τιμήσεων ἄχρι μνῶν δέκα, καταστῆσαι δ' ἐπιμελητὴν τῆς πόλεως ἕνα ἄνδρα Ἀθηναῖον, ὃς ἂν δόξῃ Κασσάνδρῳ καὶ ᾑρέθη Δημήτριος ὁ Φαληρεύς. cf. Strabo IX. p. 243.

[2]) Redeundum est hic ad locum illum Plutarchi, quo Demetrius jam inde a bello Lamiaco in civitate tantum valuisse dicitur, ut reipublicae forma, quamquam λόγῳ ὀλιγαρχική, ἔργῳ μοναρχική esset, quae verba inprimis ad principatum ejus spectare patet. Ea verba tamen non urgenda esse Plutarchus ipse probat, quum alio loco in vita Phocionis aperte dicat, quamdiu Antipater vixerit, non Demetrium Phalereum, sed Phocionem reipublicae administrandae principem fuisse, id quod confirmat praeterea Diod. l. l. ὁ (sc. Φωκίων) ἐπ' Ἀντιπάτρου τῶν ὅλων ἀρχὴν ἐσχηκώς. Itaque nullo modo statuendum est, Plutarchum his verbis principatum Demetrii quindecim annis circumscribere voluisse, quem per decem tantum annos durasse jam satis docet Demetrii ipsius libellus περὶ δεκαετίας (Diog. V. 81.), quo non decennalem Trojae obsidionem enarravit, ut inepte conjecit Menagius, sed rationem reddidit decem annorum, quibus ipse reipublicae praefuerat. cf. Ruhnken. hist. crit. or. gr. p. LXXIII.

deinceps annos civitati praefuit remque publicam salubriter administravit. Sed priusquam dijudicemus, quomodo hunc magistratum gesserit, num approbantibus civibus reipublicae saluti revera consuluerit, res ipsas per hos decem annos gestas perlustremus, quatenus ex veterum locis eas cognosci licet. Primum hic notandus videtur recensus ille incolarum Atticae, quem Demetrius Phalereus instituisse narratur a Ctesicle apud Athen. VI. p. 272. *Κτησικλῆς δ' ἐν τρίτῃ Χρονικῶν φησὶν τῇ δεκάτῃ πρὸς τὰς ἑκατὸν Ὀλυμπιάδι ἐξετασμὸν γενέσθαι ὑπὸ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως τῶν κατοικούντων τὴν Ἀττικὴν, καὶ εὑρεθῆναι Ἀθηναίους μὲν δισμυρίους πρὸς τοῖς χιλίοις, μετοίκους δὲ μυρίους, οἰκετῶν δὲ μυριάδας τεσσεράκοντα.*

Primum si ad tempus respicimus, quo hunc recensum institutum esse Ctesicles retulit, jam Casaubono (Animadv. in Athen. VI. 20.) illud tempus minus verisimile videtur, quia Demetrius hoc tempore ad rempublicam nondum accesserit, neque propter aetatem accedere potuerit. Quare Casaubonus hunc locum ita emendare studuit, ut *τῇ ἑκκαιδεκάτῃ* legendum esse censeret. Sed ne hoc quidem tempus ad rem ipsam quadrare videtur. Wesselingius ad Diod. VIII. 74. et Clintonus F. H. p. 178 et 379 ed. Kr. hunc recensum iis ipsis temporibus institutum esse arbitrati sunt, quibus Demetrius principatum susceperat, i. e. Ol. 115, 4., quae sententia, quamquam mihi quidem non admodum probabilis, tamen argumentis non caret. Vidimus enim, Cassandrum reipublicae formam ita mutasse, ut iis, quorum bona decem minas sive drachmas mille aequarent, ad honores aditus patefieret. Ut hanc conditionem Cassander perficeret, opus erat recensu civium. Sed recte hic objici potest, si illam ob causam ille recensus habitus esset, non fuisse, cur metoecorum et servorum ratio haberetur, quibus suffragii ferendi jus non esset. Jam altera accedit causa, quae sententiam illam probare videtur. Supra memoravimus, Polysperchontem favorem Graecorum sibi acquirere ita studuisse, ut omnium, qui propter minorum censum vel aliam ob causam Athenas reliquerant, reditum decerneret. Quum igitur tot homines rediissent, Demetrii Phalerei, qui jam princeps Athenarum esset, ad rempublicam bene administrandam multum interesse debebat, ut totius Atticae conditionem et statum tunc plane discordiis intestinisque bellis mutatum accuratius cognosceret adeoque recensum institueret, quo numerum non solum civium sed etiam inquilinorum et servorum compertum haberet. Itaque nihil impedit, quominus Demetrium statim in initio principatus sui recensum Atticorum incolarum instituisse credamus, quo ad

rempublicam bene ordinandam civiumque vere Atheniensium, quorum jura in ipso censu posita fuisse vidimus, definiendum numerum certe opus fuisse minime negari potest. In illud autem tempus eum recensum, qui a veteribus traditus est, incidisse nullo modo statuere licet, quippe qui plane repugnet perturbatae et labefactae Atheniensium civitati, quam a Demetrio demum auctam et exornatam esse veteres inter se consentiunt. Quare illum recensum, cujus numerum Athenienses nisi pacato et ordinato civitatis statu aequare non poterant, eo tempore factum esse patet, quo respublica Atheniensium a Demetrio praefecto administrata florentissima erat. Talis autem recensus optime pertinet ad munus archontis, quare cum Demetrio archonte Ol. 117, 4 (309 a. Chr.) institutum esse verisimillimum est [1]). Eadem est sententia Sancto-Crucii in Mém. de l' Acad. T. XLVIII. p. 167. Boeckh. St. d. Ath. I. p. 38, quibuscum consentit Wachsmuth. H. A. I, 2. p. 408. — At vero multos non solum metoecorum sed etiam civium et servorum numerus offendit, quem in majus auctum esse censerent; duodecim enim millium, qui post bellum Lamiacum Antipatro Athenas occupante, civitate privati in Thraciam deducti essent, plurimos postea colonos deductos esse Antigoniam in Asia sitam [2]). Quamquam autem fieri potuit, ut uterque numerus fortuito inter se consentiret, et deinde, ut civium numerus tantopere augeretur, tamen ita statuere nolim, quum illos Athenienses civitate privatos Antigoniam colonos deductos esse valde dubium sit. Malalas (p. 201. ed. Bonn) hoc tantum narrat, numerum eorum, qui Antigoniam deducti essent, fuisse V. millia CCC. Macedones et Athenienses, qui civitate privati ab Antipatro in Thraciam [3]) deducti essent. Verisi-

---

[1]) cf. Grauert, p. 313, qui rebus novissime gestis, exsilio et reditu tot civium tantam omnium rerum perturbationem Athenis natam esse dicit, ut non statim, sed interjectis demum aliquot annis et civitate melius constituta talis recensus institui posset. Droysen. I. p. 429.

„Die Bevölkerung Attikas belief sich nach einer Zählung, die wahrscheinlich in dem Archontenjahr (309) des Demetrius vorgenommen wurde u. s. w.“

[2]) cf. Droysen I, p. 429, 12.

[3]) Neque id verum est, omnes illos in Thraciam, quae Graecis Sibiria erat, esse deductos, sed dicit Diod. XVIII. 18. τοῖς βουλομένοις, neque consentiam cum Grauerto p. 288, omnes patriam reliquisse vel in Graecia oberrantes vel in Thraciam deportatos,

mile autem est, plerosque illorum fuisse Macedones, ita ut, etiamsi in iis, qui in Thraciam deducti erant, Athenienses fuerunt, eorum sententia, quos ob id ipsum nimius numerus[1] offenderat, nihil valeat. Deinde autem offendere poterat civium numerus etiam propterea, quod, etsi Cassander censum ita mutaverat, ut, quorum bona decem minas sive drachmas mille aequarent, iis reipublicae administratio permissa esset, omnes vel totidem [1]), quot ab Antipatro essent exclusi et Athenis expulsi, censum illum decem minarum aequare potuisse minime credibile videtur. Ad postremum et servorum numerus pro inclinatis Atheniensium opibus nimius videbatur.

Quare unde tantus civium et servorum numerus sit exortus, sunt, qui nescire se profiteantur. Sed accuratius hac re perpensa etiam hanc difficultatem tolli posse nobis persuademus. Quum enim Atheniensium numerus ab Antipatro tantopere minutus esset, quum praeterea Cassander censum decem minarum postulasset, certe saepius factum est, ut multi peregrini in civitatem adscriberentur indulgenterque ageretur cum hominibus Athenas immigrantibus, cui rei Macedones omni studio prospiciebant, quo magis populum Atheniensium sibi subjicerent. Huc accedit, quod maxima pars eorum, qui emigraverant, paulatim in patriam rediret, et ii, qui initio Demetrii principatus propter minorem censum civitatem amiserant, opibus Atheniensium tranquillo et ordinato reipublicae statu magis magisque crescentibus postea, vita eorum opulentiore reddita, denuo in civium numero adscribi poterant. Itaque, si recensus ille in serius tempus referatur, satis patet, civium numerum ita augeri potuisse, ut recensum, qualis sub fine belli Lamiaci fuerat, aequarent.

Neque tantus servorum numerus offendere potest, et considerantes, servos, mercatura quaestuque tabernario tum maxime Athenis efflorescente, inprimis in officinis occupatos fuisse, et recordantes, Demosthenis tempore supra CL. millia servorum in iis fuisse, qui argenti metalla exercerent et per agros sparsi es-

---

nam his ipsis verbis dicit Plutarchus in Phoc. c. 28., alios illorum mansisse, alios patria relicta in Thraciam deductos esse.

1) Numerus enim eorum, qui a reipublicae administratione exclusi erant, additis novem millibus, qui censum illum habebant, ipsum numerum hujus recensus efficiunt.

sent,[1]), unde patet, quantum universus servorum numerus illius temporis nostrum recensum excesserit. Tanto autem servorum et inquilinorum numero magna quoque illa civitatis vectigalia respondere videntur, quippe quum et servos [2]) et inquilinos [3]) tributa pensitasse sciamus, quae, quum illo tempore, nonnullis civitatis facultatibus et sociorum tributis plane exhaustis, haud parvam vectigalium partem efficerent, valde respiciebantur. Ita recensus ille a Demetrio institutus nullam habet difficultatem.

Ut autem idem incolarum numerus, qualis fuit sub fine belli Lamiaci, hoc tempore, de quo nunc agimus, numeraretur, inde factum esse puto, quod prior ille numerus ex posteriore recensu esset exortus [4]).

Recensus illius quaestione ad finem perducta, primum videre liceat, quomodo Demetrius Phalereus externis reipublicae opibus consuluerit, quibus bene eum consuluisse ipse ejus adversarius Demochares [5]) non negaverat, quare etiam Cic. de rep. II, 1 dicit: postremo exsanguem jam et jacentem rem doctus vir Ph. sustentasset D. Civitatem enim Atheniensium non solum aedificiis, sed etiam publicis reditibus auxisse Demetrium testatur Diog. L. v. 75. (καὶ γὰρ προσόδοις ηὔξησε τὴν πόλιν), qui quum praeterea nihil additum sit, quam rationem secutus et quibus potissimum vectigalium generibus auctis hoc perfecerit, non satis constat. Plane au-

[1]) cf. Hyperides apud Suidam v. ἀπεψηφίσατο: Ὅπως πρῶτον μὲν μυριάδας πλείους ἢ δεκαπέντε τοὺς ἐκ τῶν ἔργων τῶν ἀργυρείων καὶ τοὺς κατὰ τὴν ἄλλην χώραν.

[2]) Servorum trini in capita oboli quotannis numerati videntur. Τὸ τέλος τῶν ἀνδραπόδων commemoratur a Xenoph. de redit. c. 4, 25.

[3]) Ex inquilinis patres familias duodenas, viduae senas drachmas, quique libertinae conditionis erant trinos insuper obolos pendebant. cf. Boekh. p. 353 sq., qui p. 356 et 357. utriusque tributi annuam summam quinquaginta amplius talentis aestimat.

[4]) cf. Boeckh. St. d. Ath. I. p. 38. Etiam fortuito tantum uterque numerus inter se consentire potest, ut utraque ratio conveniat. Neque hoc a veri specie abhorret, Demetrium, qui vectigalia quoque Lycurgi numero aequare studeret, ambitiose, incolarum numero ita augendo, intentum fuisse, ut priorem illum recensum aequaret.

[5]) Polyb. XII, 13. ὧν ἦν καὶ Δημήτριος ὁ Φαληρεύς, οὐ κεῖνος οὐ τὴν τυχοῦσαν πεποίηται κατηγορίαν ἐν ταῖς ἱστορίαις, φάσκων αὐτὸν τοιοῦτον γεγονέναι προστάτην τῆς πατρίδος καὶ ἐπὶ τούτοις σεμνύνεσθαι κατὰ τὴν πολιτείαν, ἐφ' οἷς ἂν καὶ τελώνης σεμνυνθείη ἢ βάναυσος. ἐπὶ γὰρ τῷ πολλὰ καὶ λυσιτελῶς πωλεῖσθαι κατὰ τὴν πόλιν

tem rejicienda est eorum sententia, qui sociorum tributa aucta esse conjiciunt, quum illis temporibus Athenienses fere omnibus sociis privatos fuisse sciamus. Quo tempore Demetrius Phalereus principatum Athenarum susceperat, aerario multis iisque perniciosissimis bellis exhausto in exsangui jam et jacente republica vectigalia augerentur necesse erat; quod quomodo fecerit Demetrius, quum veterum testimoniis careamus, conjicere liceat. Varia autem erant reditus Atheniensium genera, qui partim ex argentifodinis in Laurio, portoriis aliisque proveniebant, partim ab Athenarum Atticaeque incolis inquilinisque pendebantur, et alia id genus, quae omnia enumerare longum est. Maxime autem civitatis vectigalia ita auxisse videtur Demetrius Phalereus, ut portoria mercium (τὰ τέλη) quae vel terra peregre advectae in Atticis foris venum dabantur, vel mari aut importabantur aut exportabantur, publicanis pluris elocaret vel fortasse ea ipsa augeret, [1]) quod ipsum Democharis verba indicant: ἐφ' οἷς ἂν καὶ τελώνης σεμνυνθείη· simulque caveret, ne reipublicae damnum fraudes eorum inferrent. Praeterea Athenarum civitas illis temporibus a multis illis peregrinis, qui litterarum, doctrinae, artium, mercatus necnon meretricum causa undique terrarum illuc convenerant, multa tributa et vectigalia accepisse videtur. Ex officinis quoque artificum, qui peregrinis regibus novisque urbibus multa opera perficiebant, pecunias in aerarium collatas fuisse verisimile est. Mercatura denique nullo tempore magis Athenis vigebat, ita ut Athenienses cum Rhodo, Byzantio et Alexandria certare possent. Itaque his et aliis ejusmodi rebus, quas ex parte jam antea memoravimus, ut auctorum servorum et inquilinorum tributis, reditus civitatis Atheniensis sub Demetrio auctos esse conjicere licet. Vectigalia artium et mercaturae, quae et quanta fuerint, nescimus. Quantum vero Demetrius publicos civitatis reditus auxerit, omnium

---

καὶ δαψιλῆ τὰ πρὸς τὸν βίον ὑπάρχειν πᾶσιν, ἐπὶ τούτοις φησὶ μεγαλαυχεῖν αὐτόν· καὶ δὴ ὅτι κοχλίας αὐτόματος βαδίζων προηγεῖτο τῆς πομπῆς αὐτῷ, σίαλον ἀναπτύων, σὺν δὲ τούτοις ὄνοι διεπέμποντο διὰ τοῦ θεάτρου, διότι δὴ πάντων τῶν τῆς Ἑλλάδος καλῶν ἡ πατρὶς παρακεχωρηκυῖα τοῖς ἄλλοις ἐποίει Κασσάνδρῳ τὸ προσταττόμενον, ἐπὶ τούτοις αὐτὸν οὐκ αἰσχύνεσθαί φησιν, ἀλλ' ὅμως οὔτε Δημήτριος οὔτ' ἄλλος οὐδεὶς εἰρήκει περὶ Δημοχάρους τοιοῦτον οὐδὲν κτλ.

1) Annuus ex quinquagesima reditus aliquando Andocidis aetate triginta sex fere talentis constitisse videtur. cf. Andoc. de myst. p. 65.

eorum, qui hanc historiae partem explanarunt, nullus est, qui invenerit, quandoquidem eos fugit locus, unicus quidem, Athenaei XII, p. 542. C. ex Duride Samio allatus, cui in hac re fides [1]) non est deneganda. Refert enim Duris [2]) reditus publicos a Demetrio Phalereo ad mille ducenta talenta auctos esse. Ab Aristide primum constitutum erat tributum sociis impositum talentorum quadringentorum sexaginta, quod mox a Pericle, novis sociis receptis, ad sexcenta, ab Alcibiade, duplici tributo sociis imposito, ad mille et ducenta auctum est. Postea sociis bello sociali et ob victorias Philippi amissis etiam maxima tributorum pars amissa erat, et ante Lycurgum oratorem, qui reditus, non tributa, quod redituum unum tantum genus est, ad mille et ducenta talenta [3]) redegit, inprimis Ol. 105 et 106 civitas Atheniensium inopia redituum laborasse videtur. Lycurgum in republica administranda s. *ἐν τῇ διοικήσει* exceperat ejus adversarius, Menesaechmus, contra quem Dinarchus scripsit quique reditus minuit, quos Demetrius postea ita auxisse traditur, ut numerus talentorum aequaret numerum a Lycurgo constitutum. Vectigalibus Athenarum civitatis ita auctis et exornatis, factum est, ut Athenienses classe maritimisque rebus privati aliquamdiu mari tantum pollerent, ut Cassandro viginti triremes (Diod. XIX), et serius Demetrio, Antigoni filio, triginta quadriremes auxilio mittere possent (Droysen. I p. 451). Opulentiam autem Atheniensium id quoque indicat, quod Thebanos in urbe aedificanda pecunia valde adjuverunt [4]). Civium quoque pauperum egestati Demetrius consuluisse videtur, quibus in legibus ferendis maxime posteros civium olim de patria

---

[1]) Duridi Samio in plurimis Atheniensium rebus fides non est tribuenda, cum animus ejus in Athenienses magna ira esset exacerbatus, quippe qui insulam Samum cepissent incolasque expulissent, id quod hac in re nihil valet.

[2]) Athen. XII. p. 542. C. *Δημήτριος δὲ ὁ Φαληρεύς, ὥς φησι Δοῦρις ἐν τῇ ἑκκαιδεκάτῃ τῶν ἱστοριῶν, χιλίων καὶ διακοσίων ταλάντων κατ' ἐνιαυτὸν κύριος γενόμενος κτλ.*

[3]) Vita X. Orat. p. 254. Minus recte Schoemann. in antiq. jur. publ. p. 320: „sed de MCC. talentis, quae sub Lycurgo quotannis redibant, dubitari non potest, quin bona pars tributis sociorum confecta sit.“ Errat Dohrnius, qui vectigalia a Lycurgo ad mille et trecenta talenta aucta esse statuit. —

[4]) cf. Droysen, p. 327: „Vor Allen aber die Athener nahmen Antheil an dem Neubau oder unterstützten durch Geldsendungen“ u. s. w. cf. Plut. praec. pol. p. 814 Paus. IX., 7.

sua meritorum respexisse videtur, id quod patet ex Plutarchi Aristide c. 27. ὁ δὲ Φαληρεὺς ἐν τῷ Σωκράτει φησὶ μνημονεύειν Ἀριστείδου θυγατριδοῦν εὖ μάλα πένητα Λυσίμαχον, ὃς ἑαυτὸν ἐκ πινακίου τινὸς ὀνειροκριτικοῦ παρὰ τὸ Ἰακχεῖον λεγόμενον καθεζόμενος ἔβοσκε, τῇ δὲ μητρὶ καὶ τῇ ταύτης ἀδελφῇ ψήφισμα γράψας δωρεὰν ἔπεισε τὸν δῆμον διδόναι τριώβολον ἑκάστης ἡμέρας· αὐτὸς μέντοι ὁ Δημήτριος νομοθετῶν ἐψηφίσατο δραχμὴν ἑκατέρᾳ τάξαι τῶν γυναικῶν. —

Deinde autem in domus quoque aedificandas magnam pecuniam impendisse Demetrium Phalereum dicit Diog. L. V. 75. κατασκευαῖς ηὔξησε τὴν πόλιν.

Quum enim Persicis bellis et post bellum Peloponnesiacum multa aedificia incensa et diruta fuissent, Demetrius Phalereus multa restituit et refecit, exemplum aliorum, maxime Cimonis, Periclis, Cononis, qui idem jam antea fecerant, secutus, ita ut, quae Conon [1]) imperfecta reliquerat, ea perfecisse videatur. Accuratius de hac urbis amplificatione veteres non tradiderunt, sed id suspicari licet ex ipsius sumtuariis legibus et ex Ciceronis verbis de off. II, 17. „Phalereus Demetrius, qui Periclem, principem Graeciae, vituperat, quod tantam pecuniam in praeclara illa propylaea conjecerit“, magnificentiam aedificiorum fuisse vitatam. Sed idem non plane secutus esse videtur in aedificatione templi Eleusinii, quod exaedificandum curasse Demetrium legimus apud Vitruv. Praef. VII. „Eleusinae Cereris et Proserpinae cellam immani magnitudine Ictinus dorico more sine exterioribus columnis ad laxamentum usus sacrificiorum pertexit. Eam autem postea, cum Demetrius Phalereus Athenis rerum potiretur, Phylon ante templum in fronte columnis constitutis prostylon fecit. Ita aucto vestibulo laxamentum initiantibus operique summam adjecit auctoritatem“.

Maximam autem vectigalium partem Demetrii, qui civium sumtus circumcideret, luxuria consumtam esse legimus ex Duride apud Athen. XII. p. 542. καὶ ἀπὸ τούτν (sc. χιλίων καὶ διακοσίων ταλάντων) βραχέα δαπανῶν εἰς τοὺς στρατιώτας καὶ τὴν τῆς πόλεως διοίκησιν, τὰ λοιπὰ πάντα διὰ τὴν ἔμφυτον ἀκρασίαν ἠφάνιζε, θοίνας τε

---

[1]) De Conone refert Justinus VI. 6. 8. „Sed Conon vastatis hostium terris Athenas pergit, ubi magno civium gaudio exceptus plus tamen tristitiae ipse ex incensa et diruta a Lacedaemoniis patria, quam laetitiae ex recuperata post tantum temporis cepit. Itaque, quae incensa fuerant, praedarum sumtu et exercitu Persarum restituit, quae diruta, reficit.“

καθ' ἑκάστην ἡμέραν λαμπρὰς ἐπιτελῶν καὶ πλῆθός τι συνδείπνων ἔχων· καὶ ταῖς μὲν δαπάναις ταῖς εἰς τὰ δεῖπνα τοὺς Μακεδόνας ὑπερέβαλε κτλ., quem locum, ubi de moribus Demetrii agemus, accuratius explanabimus. Attamen universam Atheniensium civitatem fortunatam et opulentam fuisse patet ex Democharis verbis apud Polyb. XII., 13. πολλὰ καὶ λυσιτελῶς πωλεῖσθαι κατὰ τὴν πόλιν καὶ δαψιλῆ τὰ πρὸς τὸν βίον ὑπάρχειν πᾶσιν, unde Demetrium in republica administranda bonis consiliis usum esse concludere licet. —

Jam progrediamur ad leges illas et instituta, quae Demetrium in principatu suo tam prudenter fecisse audimus, ut tertius Atheniensium legumlator sit appellatus [1]), quemque tum robur reddidisse Solonis legibus tum novas easque praestantissimas tulisse Plutarchus [2]) dicit. Optimo autem jure Demetrio Phalereo, qui non solum singulas novas leges tulerit antiquasque renovaverit et sanxerit, sed, Solonis legum restituendarum cupidus, omnes omnino Atheniensium leges inspexisse et percensuisse videatur, legumlatoris nomen Plutarchus et Syncellus tribuerunt. Leges, quas sanxit Demetrius, partim sumtuariae partim judiciariae erant. Artibus enim florentibus, quippe quae privatis, non publicis commodis servirent, maxima luxuria Athenas invaserat, quam Demetrius, quamquam ipse luxuriosus, omni ratione circumcidere studebat. Primum huc pertinet lex, quam dedit ad luxum minuendum, quamque memorat Cic. de leg. II., 26., de funerum sepulcrorumque magnificentia, quod idem ab aliis jam antea factum erat. Quum enim ipsa religio Atheniensium mortuos coli multisque honoribus affici juberet, facile fieri poterat, ut homines, quorum animi facile commoverentur, hac in re justos limites egrederentur, ita ut nimios in funeribus apparandis sumtus, quos facere Athenienses etiam in tristi rerum conditione non negligebant, coërcendos esse Atheniensium legumlatores censerent. Accuratius hac de re egit Cicero l. l., ubi ita disserit: „De sepulchris autem nihil est apud Solonem amplius quam ne quis ea deleat neve alienum inferat: poenaque est, si quis bustum (nam id puto appellari τύμβον) aut monumentum, inquit, aut columnam violarit, dejecerit, fregerit. Sed post aliquanto propter has amplitudines sepulchrorum, quas in Ceramico videmus,

[1]) Apud Var. Syncellum p. 273 et 274. ὁ τρίτος νομοθέτης Ἀθηναῖος, post Draconem scilicet et Solonem. De Demetrio legumlatore cf. Richter. Specim. Animadv. de vett. legum lat. p. 61., quo libro me non potuisse uti vehementer doleo. —

[2]) Apud Plut. in Arist. c. 27. dicitur νομοθετῶν.

lege sanctum est, ne quis sepulchrum faceret operosius, quam quod decem homines effecerint triduo. [1]) Neque id opere tectorio exornari, nec hermas has, quas vocant, licebat imponi; nec de mortui laude nisi in publicis sepulturis, nec ab alio, nisi si quis publice ad eam rem constitutus esset, dici licebat. Sublata etiam erat celebritas virorum et mulierum, quo lamentatio minueretur. Habet enim luctum concursus hominum. Quocirca Pittacus omnino accedere quemquam vetat in funus aliorum. Sed ait rursus idem Demetrius, increbruisse eam funerum sepulcrorumque magnificentiam, quae nunc fere Romae est. Quam consuetudinem lege minuit ipse. Fuit enim hic vir, ut scitis, non solum eruditissimus, sed etiam vir e republica maxime tuendaeque civitatis peritissimus. Iste igitur sumtum minuit non solum poena, sed etiam tempore. Ante lucem enim jussit efferri. Sepulchris autem novum finivit modum. Nam super terrae tumulum noluit quid statui, nisi columellam, tribus cubitis ne altiorem, aut mensam aut labellum [2]), et huic procurationi certum magistratum praefecerat.“ Talis autem lex sumtuaria hoc potissimum tempore valde erat necessaria, qua caveretur, ne Athenienses, temporum calamitate maxima vexati luxui indulgendo fortunas suas pessumdarent. Praeterea alias quoque leges jam antea de sepulchris datas renovasse videtur, e. g. ut mortui ante lucem efferrentur, ut est apud Demosthenem *ἐν τῷ πρὸς Μακάρτατον* §. 62. et alia id genus. Etiamsi vero praeter hanc legem ad luxum minuendum latam alia non memoretur apud veteres, tamen pro certo habere possumus, Demetrium Phalereum in aliis quoque rebus, quae voluptati, non necessitati inservirent, inprimis nimiis conviviorum sumtibus modum finivisse, ut fortunas civium eorum, qui in augustias pervenissent, locupletaret. Neque dissentit cum hac

---

[1]) Simile quid praescribit Plato Leg. XII. p. 959· *χῶμα δὲ μὴ χωννύναι ὑψηλότερον πέντε ἀνδρῶν ἔργον, ἐν πένθ' ἡμέραις ἀποτελούμενον, λίθινα δὲ ἐπιστήματα μὴ μείζω ποιεῖν ἢ ὅσα δέχεσθαι τὰ τοῦ τετελευτηκότος ἐγκώμια βίου, μὴ πλείω τεττάρων ἡρωϊκῶν στίχων.* Quae lex non diu valuisse videtur, quum magnam pecuniam in sepulchris exstruendis consumtam esse videmus ex Lys. in Diogit. p. 905. Demosth. ed. Steph. I p. 1125. Plut. X. Or. vit. p. 364.

[2]) Enumerat hic Cicero monumenta, quae Athenis usitatissima erant: 1. *στήλη* (columella), 2. *τράπεζα* (mensa); 3. labellum, quod quid significet dubium est; intelligi possunt *πύελοι* vel *ληνοί*, nisi forte Ciceronem dixisse *ὑδρίαν* statuere licet. cf. Becker. Charicles II. p. 192 et 193.

sententia Ciceronis locus de off. II., 17. Theatra, porticus, nova templa verecundius reprehendo, propter Pompejum, sed doctissimi non probant, ut et hic ipse Panaetius, quem multum in his libris secutus sum, non interpretatus, et Phalereus Demetrius, qui Periclem, principem Graeciae, vituperat, quod tantam pecuniam in praeclara illa propylaea conjecerit. Non imprudentem autem Atheniensibus se ostenderat Demetrius in sumtibus minuendis. Quamquam enim in his et aliis rebus sumtibus modum facere studebat, tamen, si diebus festis, qui jam pridem celebrati erant, in deorum ceremonias sumptum impendere vellent, liberum arbitrium Atheniensibus permisit, haud ignorans, populum nihil molestius ferre quam in his rebus circumscribi. Qualia multa in Demetrii administratione reipublicae infuisse docet Plutarchus in praec. ger. reip. c. 24.[1]), qua in re Demetrium comparat cum Pericle. Qui quum ita ea, quae antiquitus majorum more erant instituta, populo permitteret, gratiam et favorem populi sibi paraverat, ita ut in aliis rebus, quae, quamquam per se graviores, populo tamen levioris momenti videbantur, consilia sua perficere posset; quam agendi rationem probat Plutarchus l. l. paulo superius, quum dicit: *ἐκεῖνο δὲ πολιτικώτερον παράγγελμα, τὸ τὰ μικρὰ τοῖς πολλοῖς προΐεσθαι χαριζόμενον ἐπὶ τῷ τοῖς μείοσιν ἐνίστασθαι καὶ κωλύειν ἐξαμαρτάνοντας· ὁ γὰρ περὶ πάντα λίαν ἀκριβὴς καὶ σφοδρὸς οὐδὲν ὑποχωρῶν οὐδὲ ὑπείκων, ἀλλὰ ταχὺς ἀεὶ καὶ ἀπαραίτητος ἀντιφιλονεικεῖν τὸν δῆμον αὐτῷ καὶ προςδυσκολαίνειν ἐθίζει.* —

Neque vitae privatae mores Demetrius neglexisse videtur, sed Solonis, cujus leges atque instituta paucis exceptis restituerat, vestigia secutus, morum privatae vitae regendorum curam suscepisse et leges tulisse videtur, quibus id assequeretur. Quae res in universum patet ex Athenaei loco ex Duride allato XII. p. 542., ubi Demetrius dicitur: *ὁ τοῖς ἄλλοις τιθέμενος θεσμοὺς καὶ τοὺς βίους τάττων.* Idem spectat praeceptum illud juvenibus datum, quod legimus apud Diog. L. V. 82. *τοὺς νέους ἔφη δεῖν ἐπὶ μὲν τῆς οἰκίας τοὺς γονεῖς αἰδεῖσθαι, ἐν δὲ ταῖς ὁδοῖς τοὺς ἀπαντῶντας, ἐν δὲ ταῖς ἐρημίαις ἑαυτούς.*

Ad luxuriam autem civium nimiosque sumtus conviviorum et aliarum ejus-

---

[1]) *ἐὰν δὲ ἑορτὴν πάτριον οἱ πολλοὶ καὶ θεοῦ τιμὴν πρόφασιν λαβόντες ὁρμήσωσι πρός τινα θέαν, ἢ νέμησιν ἐλαφρὰν, ἢ χάριν τινὰ φιλάνθρωπον, ἢ φιλοτιμίαν, ἔστω πρὸς τὰ τοιαῦτα ἡ τῆς ἐλευθερίας ἅμα καὶ τῆς εὐπορίας ἀπόλαυσις αὐτοῖς. καὶ γὰρ τοῖς Περικλέους πολιτεύμασι καὶ τοῖς Δημητρίου πολλὰ τοιαῦτα ἔνεστι.*

modi rerum coërcendos opus erat magistratu, qui mores civium inspiceret et si qui has leges sumtuarias violassent, eos justis poenis afficeret. Quod munus Demetrius gynaeconomis tribuisse videtur, qui magistratus a Demetrio non institutus, id quod nomen ipsum indicat, sed primitus ad indecoros feminarum mores coërcendos et mulctandos [1]) destinatus [2]), ab eo, quum sumtuosa fieri funera et lamentabilia coepissent, ad haec et alia ejusmodi [3]) munera adhibitus erat. Sed etiam Solonis, cujus exemplum Demetrius est secutus, legibus praescriptum erat, ne quis luxuriosam et dissolutam vitam ageret, hoc tantum discrimine intercedente, ut illo tempore ad mores civium inspiciendos cura Areopagitarum pertineret, qui, quidquid contra bonos mores disciplinamque publicam committebatur, animadvertebant, postea autem Demetrii Phalerei lege in coërcenda luxuria ac dissoluta vivendi licentia singularis magistratus gynaeconomorum illis adjungeretur, ita ut praefectus esset Areopagus, id quod ex Philochori verbis *οἱ γυναικο-*

---

[1]) Aristot. de rep. IV. 15. p. 1300 B. VI. 18, p. 1323. Wachsmuth. II. p. 245. Hesych. s. v. *πλάτανος. δένδρον, πρὸς ὃ οἱ γυναικονόμοι τὰς ζημίας ἐν λευκώματι ἐξετίθεσαν.*

[2]) In Solonis legibus nulla eorum fit mentio. —

[3]) Athen. VI, 46. *Ὅτι δ' ἦν ἔθος τοὺς γυναικονόμους ἐφορᾶν τὰ συμπόσια καὶ ἐξετάζειν τῶν κεκλημένων τὸν ἀριθμὸν, εἰ ὁ κατὰ νόμον ἐστί. Τιμοκλῆς ἐν Φιλοδικαστῇ φησιν οὕτως·*

Ἀνοίγετ' ἤδη τὰς θύρας, ἵνα πρὸς τὸ φῶς
ὦμεν καταφανεῖς μᾶλλον, ἐφοδεύων ἐὰν
βούληθ' ὁ γυναικονόμος λαβεῖν ἀριθμὸν
κατὰ τὸν νόμον τὸν καινὸν, ὅπερ εἴωθε δρᾶν,
τῶν ἑστιωμένων. ἔδει δὲ τοὔμπαλιν
τὰς τῶν ἀδείπνων ἐξετάζειν οἰκίας.

Μένανδρος δ' ἐν Κεκρυφάλῳ.

Παρὰ τοῖς γυναικονόμοις δὲ τοὺς ἐν τοῖς γάμοις
διακονοῦντας ἀπογεγράφθαι πυθόμενος
πάντας μαγείρους, κατὰ νόμον καινόν τινα,
ἵνα πυνθάνωνται τοὺς κεκλημένους, ἐὰν
πλείους τις ὧν ἔξεστιν ἑστιῶν τύχῃ,
ἐλθών.

καὶ Φιλόχορος δ' ἐν ἑβδόμῃ Ἀτθίδος. „Οἱ γυναικονόμοι (φησὶ) μετὰ τῶν Ἀρεοπαγιτων ἐσκόπουν τὰς ἐν ταῖς οἰκίαις συνόδους ἔν τε τοῖς γάμοις καὶ ταῖς ἄλλαις θυσίαις." cf. Petiti legg. VII. II. p. 647. Beckeri Charicles II. p. 427.

νόμοι μετὰ τῶν Ἀρεοπαγιτῶν ἐσκόπουν patere videtur. Idem munus mores civium inspiciendi in aliis quoque civitatibus [1]) singulari magistratui, quibus idem nomen erat gynaeconomis, mandatum erat, quarum exemplum secutus Demetrius gynaeconomis id munus tribuisse videtur. Eundem magistratum autem spectare videtur Cicero loco jam supra laudato de leg. II. 26., quum dicit: et huic procurationi certum magistratum praefecerat [2]). — Quod jam Timocles eos memorat, nostrae sententiae non adversatur, quandoquidem is, quamquam inter mediae comoediae poëtas referendus, tamen aequalis erat Menandri, itaque illo quoque tempore comoedias agere poterat. cf. Meinecke I. p. 430. Cum iis autem, quae Demetrium ad luxum minuendum fecisse audimus, cohaerere videtur aliud institutum, cujus auctorem eundem Demetrium Phalereum fuisse narrat Athen. XIV. p. 620. τοὺς νῦν Ὁμηριστὰς ὀνομαζομένους πρῶτος εἰς τὰ θέατρα παρήγαγε Δημήτριος ὁ Φαληρεύς, quod idem refert Eustath. ad. Iliad. p. 1479. ἦν δὲ τοιοῦτος καὶ Φαληρεὺς Δημήτριος, ὃς πρῶτος εἰς θέατρον παρήγαγε, φασι, ῥαψῳδοὺς τοὺς καὶ Ὁμηριστὰς καλουμένους, οἳ ἐμελῴδουν τὰ Ὁμήρου καθάπερ ἄλλοι τὰ Ἡσιόδου καὶ Ἀρχιλόχου καὶ ἑτέρων. Quae res arctissime cohaeret cum angustiis Atheniensium, apud quos, deminutis reipublicae singulorumque civium opibus, res scenica eo devenerat, ut propter nimios sumtus, quos chori apparatus requirebant, fabulae rarissime tantum dari possent. Ne igitur Athenienses tali voluptate plane carerent, Demetrius Phalereus ludorum scenicorum loco aliam minus sumtuosam voluptatem civibus praebuit Homeri aliorumque carminibus in theatro recitandis [3]). Quamquam autem carmina Homeri jam antea recitari solebant, id quod Pisistratus vel Solon in Panathenaeis instituisse dicitur, illa tamen recitari a rhapsodis [4]) vel homeristis in theatrum productis, a

[1]) Gambreione, in urbe Joniae, ut ex inscriptione apud Fellows patet, gynaeconomis inprimis luctus et funera inspiciendi cura mandata erat. cf. Franz, fünf Inschriften und fünf Städte Kleinasiens.

[2]) Vide de hoc magistratu Meieri Proc. Att. p. 97. Boeckh. de Philochoro p. 23 et 24 gynaeconomos a Demetrio institutos recte probat. —

[3]) Attamen non plane aboleverant fabulae, sed praecipue comoediae dari solebant, in quibus scribendis praeter Timoclem et Menandrum illo tempore etiam Alexis singulari industria erat. Alexis Τύραννος in id ipsum tempus incidit. cf. Clinton. ad Ol. 117, 1.

[4]) Rhapsodi in epicis carminibus nominantur ii, qui in dramaticis histriones. Quare Aristoteles Poet. c. 27. rhapsodos et histriones alio sensu sibi opposuisse videtur.

Demetrio Phalereo demum institutum est. Etsi autem Demetrius potissimum hanc ob rem, ut civium opes sublevaret iisque scenicis ludis privatis aliam praeberet voluptatem minus sumtuosam, Homeri carmina in theatro recitanda curabat, tamen negari non potest, in eo id quoque multum valuisse, quod Solon, quem legumlatorem in multis aliis rebus imitari studebat, et ipse recitanda Homeri carmina curaverat. Huc accedit, quod Demetrium ipsum Homeri carminibus operam dedisse fragmenta ejus indicant.

Non parvum autem locum ea tenent, quae Demetrius in judiciis ordinandis instituisse traditur, quae res ipsa ad leges ejus judiciarias, quas antea memoravimus, nos ducit. Judiciariae legis de εἰςαγγελίαις a judicibus mille quingentis judicandis meminit Pollux VIII. 53. χίλιοι δὲ κατὰ μὲν τὸν Σόλωνα τὰς εἰςαγγελίας ἔκρινον, κατὰ [1]) δὲ τὸν Φαληρέα καὶ πρὸς πεντακόσιοι. Judices igitur de his causis sedere solebant e Solonis lege mille, post autem Demetrii Phalerei tempore mille et quingenti, duobus aut tribus judiciis in unum conjunctis, id quod in aliis quoque gravioribus causis publicis usitatum erat. Cur autem Demetrius numerum illum a Solone constitutum auxerit, facile patet quaerentibus, quaenam fuerint εἰςαγγελίαι [2]) in judicio Atheniensium. Vocabantur enim ita accusationes de gravissimis criminibus publicis, quae summam reipublicae at-

---

[1]) Sunt, qui hunc Pollucis locum ambiguum esse statuant, id quod res ipse nego; Kuehnius enim κατὰ τὸν Φαληρέα interpretatur: Phalerei lege, et prius illud „Solonis lege;“ Luzacius de Socr. civ. p. 110 vertit: secundum Demetrium Phalereum, in libris de legibus Atheniensium. Proprie significat κατά h. l. idem, quod ἐπί cum gen. Pollux VIII. 42. τῆς δὲ ἀργίας ἐπὶ μὲν Δράκοντος ἀτιμαί ἦν τὸ τίμημα, ἐπὶ δὲ Σόλωνος, εἰ τρίς τις ἁλώῃ, ἠτιμοῦτο. Sed quod Demetrii tempore valuit, id sane non statim ejus lege valuisse necessarium est. Attamen propter praecedens κατὰ τὸν Σόλωνα cum Kuehnio statuere malim, Demetrii lege id esse institutum. Loco autem Pollucis ita explicato adversari videtur Lex. rhetor. post Phot. Pors. p. 667., ubi legitur: ἔστι δ' ὅτε ἐμβάλλοντες τοὺς συκοφαντουμένους εἰςήγγειλον, ὡς μὲν Φιλόχορος, χιλίων καθιζομένων, ὡς δὲ Δημήτριος ὁ Φαληρεύς, χιλίων πεντακοσίων. Κἀκεῖνος δὲ οὕτως ὡρίσατο· εἰςαγγελία ἐστὶν κτλ. Unde patet, locum ex Demetrii scriptis citatum esse. Quae discrepantia ita tolli potest, ut sicuti Philochorum Solonis, ita Demetrium suum institutum retulisse statuamus.

[2]) Wachsmuth. II. 1, p. 297. Lex. rhetor. post Phot. Pors. p. 667 apud Hermann. §. 133, 9. Schoemann de com. p. 181. Propter talium causarum gravitatem eas etiam in ipsam populi concionem saepe delatas esse invenimus, cf. Harpocrat. εἰςαγ. Pollux VIII. 51.

tingerent, habebantque locum in causis omnibus, quae ad quemnam magistratum primo loco cognoscendae, examinandae, in forum adducendae deferrentur, lege definitum non erat. Quibus in causis ex Demetrii Phalerei lege a mille et quingentis judicibus judicatis ne judices corrumperentur, valde erat cavendum, quare Solon judicum de talibus causis disceptantium numerum tantum esse voluerat. Quum autem Demetrii Phalerei tempore etiam magis timendum esset, ne judices se corrumpi paterentur, is numerum ita augendum esse censuit, ut mille illis judicibus a Solone constitutis quingenti adderentur. Neque hoc unicum fuisse videtur, quod Demetrius mutaverat in judiciis. Sed prius quam ad alias res progrediamur, refellenda est sententia eorum, [1]) qui, ut in controversiis [2]), in quibus prius singulae drachmae deponendae fuissent, binae deponerentur, Demetrium Phalereum instituisse statuunt, id quod falso concluditur ex loco Harpocrationis, s. v. παράστασις. ἔστι δὲ δραχμὴ καταβαλλομένη ὑπὸ τῶν δικαζομένων κτλ. Δημήτριος δ' ὁ Φαληρεὺς ἐν τοῖς περὶ νομοθεσίας τοὺς διαιτητάς φησι λαμβάνειν τὰς δραχμάς, μίαν μὲν ἀπὸ τῆς λήξεως, ἣν παράστασιν ἐκάλουν, ἑτέραν δὲ κατὰ ὑπωμοσίαν ἑκάστην [3]).

Quo ex loco nihil aliud efficitur, quam Demetrium retulisse, arbitros duas drachmas accipere solitos fuisse, unam pro intentione litis, alteram vero, quoties alter litigantium juraret; παράστασις igitur una drachma ab actore deponenda constabat, neque unquam ad duas drachmas aucta est. cf. Pollux VIII, 39; 127. Itaque nihil impedit, quominus statuamus, eundem morem semper valuisse neque a Demetrio, qui hujus rei tantum mentionem fecit, institutum esse [4]). At vero omnino diaetetarum judicia Demetrius extendisse videtur. Judicabant enim illi de causis privatis, [5]) quas litigantibus ad eorum cognitionem deferre placuisset; sed ab illorum sententia litigantes non solum ad heliastas provocare, sed etiam, si mallent, omissis diaetetis statim heliastas judices postulare poterant. Posterius autem illud

---

[1]) Idem statuit Dobrnius p. 17.

[2]) Diaetetae enim publici controversias judicantes non accipiebant mercedem, sed sportulas tantummodo sive sacramenta litigantium, quae παράστασις dicebantur. —

[3]) Suidas s. v. παράστ.

[4]) cf. Wachsmuth. I. p. 254. „Ihr (der öffentl. Diaeteten) Lohn war eine Drachme Legegeld (παράστασις, παρακατάστασις) des Klägers und abermals eine von diesem und auch von dem Beklagten bei dem Eide.“

[5]) Οἱ. διαιτηταὶ πᾶσαν δίκην δικάζουσι πλὴν τῶν ξενικῶν. Lex. Segu. p. 310, 17.

serius ita mutatum est, ut plurimae causae, priusquam ad heliastas pervenire possent, ad diaetetarum cognitionem deferri deberent, itaque diaetetae primi essent judices, a quorum sententia ad heliastas provocare licebat. Quam judicii diaetetarum mutationem, quippe quae Demetrii Phalerei tempore maxime observaretur, Demetrii lege exortam esse conjicere licet. cf. Lex. Rhetor. p. 673., quo loco fragmentum Demetrii continetur, quod in altera commentationis parte accuratius explanabitur. Deinde autem instituti vel potius, ut statim apparebit, restituti sunt a Demetrio Phalereo nomophylaces, qui et ceterorum magistratuum administrationem custodirent, et in comitiis viderent, ne quid contra leges ageretur [1]). Multae autem hic nobis se obtrudunt quaestiones, ad quas obiter tantum respondere licet. Quaeritur enim, qualia fuerint eorum munera vel officia, quocum cohaeret, num iidem sint atque undecimviri nomine tantum a Demetrio mutato, deinde utrum a Demetrio instituti sint. Primarium autem de nomophylacibus locum legimus apud Pollucem VIII. 94. *νομοφύλακες ἐστεφάνωνται μὲν στροφίῳ λευκῷ, τὴν δὲ πομπὴν πέμπουσι τῇ θεῷ, τοῖς δὲ προέδροις ἐν ἐκκλησίαις συγκαθίζουσι, διακωλύοντες ὅσα μὴ συμφέρει.* Unde eos etiam Panathenaeis praepositos fuisse videmus. cf. Lex. Rhet. p. 673: *Νομ. ἕτεροι εἰσὶ τῶν θεσμοθετῶν, ὥς Φιλόχορος. οἱ μὲν γὰρ ἄρχοντες ἀνέβαινον εἰς Ἄρειον πάγον ἐστεφανωμένοι, οἱ δὲ νομοφύλακες στρόφια λευκὰ ἔχοντες, καὶ ταῖς θέαις ἐναντίον ἀρχόντων ἐκαθίζοντο* (ergo honoris sedes iis concessa erat) *καὶ τὴν πομπὴν ἔπεμπον τῇ Παλλάδι· τὰς δὲ ἀρχὰς ἠνάγκαζον τοῖς νόμοις χρῆσθαι, καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ ἐν τῇ βουλῇ μετὰ τῶν προέδρων ἐκάθηντο, κωλύοντες τὰ ἀσύμφορα τῇ πόλει πράττειν· ἑπτὰ δὲ ἦσαν, καὶ κατεστάθησαν, ὥς Φιλόχορος, ὅτε Ἐφιάλτης μόνῃ κατέλιπε τῇ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῇ τὰ ὑπὲρ τοῦ σώματος.*

Constat autem, moderandis populi conciliis una cum prytanibus praefuisse etiam Areopagitas, qui viderent, ne quid ferretur, neve de eo suffragium daretur, quod legibus contrarium aut reipublicae perniciosum esse censerent; quam potestatem, Periclis et Ephialtae consilio ademptam Areopago nomophylacibus tunc institutis traditam esse propter Philochori auctoritatem dubitare non licet. Improbanda igitur est sententia eorum [2]). qui hunc magistratum per totum tempus, quo imperium

---

[1]) cf. de hac re Boeckh. de Philochoro p. 23—27.

[2]) Ulrichio de undecimviris p. 268. et H. A. Muellero Panathen. p. 103. Boeckhii argumentum (de Philochoro p. 25—27), qui de nomophylacibus ab Ephialte institutis dubitat, nullius ponderis esse videtur.

Atheniensium erat populare, non fuisse censent, eo potissimum argumento usi, quod apud Aeschin. Ctesiph. §. 4. non memorentur, neque apud Aristophanem neque apud oratores ante Dinarchum, neque apud alium quemquam inter Periclem et Alexandrum scriptorem mentio eorum facta inveniatur. At vero ex iis argumentis nihil aliud concludi potest, quam eos non durasse, sed ab Ephialte institutos mox fuisse abolitos, id quod bene convenit cum sententia nostra, nomophylaces Demetrii Phalerei tempore esse restitutos. Sed nova hic difficultas subnascitur eo, quod etiam Dinarchum in orationibus in Himeraeum et Pytheam habitis eorum mentionem fecisse legimus apud Harpocr. s. v. νομοφύλακες. Attamen haec difficultas facile expediri posset, nisi in his ipsis orationibus ante principatum Demetrii habitis [1]) eorum mentio facta esset. Restat igitur nihil aliud, quam ut nomophylaces ante Demetrii principatum jam restitutos et usque ad illum, novis muneribus iis mandatis, reservatos, aut jam ante Demetrii principatum restitutos, sed paulo post abolitos, sub Demetrio Athenarum principe vel potius jam prius denuo restitutos esse statuamus. Facile autem res ita se habere potuit, ut nomophylaces Alexandri tempore, quo respublica Atheniensium jam ad paucorum dominatum inclinabat, itaque eo tempore, quo Lycurgus rempublicam administrabat et gubernabat, instituti, belli Lamiaci autem tempore, quo popularis imperii desiderium multos Athenienses ceperat, aboliti, hoc bello finito, statim restituerentur et in Demetrii principatu retinerentur. Quod denique Ullrichius de undecimviris p. 268 suspicatur, nomophylaces in append. Phot. commemoratos non alios quam undecimviros esse, valde est improbabile, nec nisi errore [2]) Pollucis VIII, 102 niti videtur, ubi legitur: νομοφύλακες δὲ κατὰ τὸν Φαληρέα μετωνομάσθησαν (sc. οἱ ἕνδεκα) cujus nominis jam Dinarchum mentionem fecisse vidimus.

Huc accedit, quod munera undecim virorum hoc loco [3]) Pollucis memorata mi-

---

[1]) Himeraeum jam prius condemnatum mortem obiisse supra memoravimus. —

[2]) Fortasse nonnisi vox νομοφύλακες hoc loco Pollucis depravata est, ita ut Demetrius revera nomen undecimvirorum, quod odiosius erat, alio mutaverit. Quare hoc loco θεσμοφύλακες, quod facile confundi poterat cum νομοφύλακες, legendum esse conjicio.

[3]) ἐπεμελοῦντο δὲ τῶν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, καὶ ἀπῆγον κλέπτας, ἀνδραποδιστάς, λωποδύτας, εἰ μὲν ὁμολογοῖεν, θανατώσοντες, εἰ δὲ μή, εἰσάξοντες εἰς τὰ δικαστήρια, κἂν ἁλῶσιν, ἀποκτενοῦντες. τοῦ δὲ νομοφυλακίου θύρα μία χαρώνειον ἐκαλεῖτο, δι' ἧς τὴν ἐπὶ θανάτῳ ἀπῆγον.

nime cohaerent cum iis, quae nomophylacum Periclis et ipsius Demetrii aetate fuisse traduntur [1].

Ut hanc totam rem conjectura finiamus, memorari denique potest aliud, quod et ipsum in Demetrii Phalerei principatum incidisse conjicere licet. Cujus rei vestigia debeo loco Boeckhii (in Oecon. Athen. II. p. 217.) ubi ita legimus: „wer kennt nicht die Delische Theorie, welche, da sie von Theseus her nicht nur bis auf Platon, sondern bis auf den Phalerer Demetrius sich erhalten haben soll, ungeachtet durch die fortdauernde Ausbesserung allmählig alle Theile erneuert worden waren u. s. w." cf. Veterum loci, inprimis Plutarchi apud Fischer. ad Orion. I. — Agitur hic igitur de navi illa, quae θεωρὶς [2] et Δηλιὰς nominabatur, quam usque ad aetatem Demetrii Phalerei durasse satis constat. Simul autem constat, hanc navem saepius afflictam toties refectam esse [3], ut antiquae materiae fere nihil relinqueretur. Haec ipsa navis a Demetrio Phalereo, quem aedificiis exstruendis operam dedisse vidimus, refecta vel (ut Boeckhius statuit in libro: „ueber das Seewesen der Athener," quo me carere doleo, de integro aedificata videtur. Legibus et institutis Demetrii Phalerei Athenarum principis ita explanatis et perpensis, neminem fugerit, Demetrium, utpote Theophrasti disciplina usum, Aristotelis Peripateticorum rationem et doctrinam reipublicae gubernandae ad usum adjungere studuisse, ita ut quae Theophrasti scholae addictus de republica scriptis mandaverat, eadem in principatu suo ad vitae usum contulisse videatur. Reipublicae forma eo tempore, quo Demetrius principatum tenebat, proprie erat ea, quam Aristoteles dicit πολιτείαν, quamque is ejusque discipuli ut-

---

1) De tota hac inter viros doctos lite cf. C. Fr. Hermann. §. 129, 10.

2) Polyb. XXXI. 20. haec navis ἱεραγωγὸς nominatur. Athenienses plures ejusmodi naves habebant, antiquitus unam tantum. cf. Herod. VI. 87. Plut. Themist. c. 7. Demosth. Philipp. I. §. 50. Post bellum Peloponnesiacum duae erant naves, quarum altera ad Salaminem nominabatur Salaminia, altera in παράλῳ stationem habebat. Tertia navis accessit Demosthenis aetate, appellata Amonias, et postea etiam aliae. Hic sermo est de navi illa Delia, quae inprimis θεωρὶς (ναῦς) vocabatur; de qua vide Stallbaum ad Platonis Phaed. 1. B.

3) cf. Plut. an seni gerenda sit respublica c. VI. ὥσπερ γὰρ οἱ τεχνῖται, οἷς ἐπέκειτο φροντίζειν σῶον εἶναι τὸ Δηλιακὸν πλοῖον, ἀντὶ τῶν πονούντων ξύλων ἐμβάλλοντες, ἄλλα καὶ συμπηγνύντες, ἴδιον ἐκ τῶν τότε ἀχρόνων καὶ ἄφθαρτον ἐδόκουν διαφυλάττειν.

pote medium tenentem inter imperium populare et optimatium dominationem maxime probaverunt. Hanc reipublicae rationem secutus Demetrius, qui doctrinam ad usum optime adjunxit, nomophylaces, gynaeconomos et alios id genus instituit.

Cap. VI,

Quid existimandum sit de Demetrii Phalerei principatu explanatur.

Iis praemissis, quae Demetrium Phalereum per decem illos annos, quibus principatum Athenarum obtinuerit, gessisse veteres scriptores memoriae mandarunt, quid de hoc principatu statuendum sit, jam explanemus, et quidem ita, ut, memoratis honoribus Demetrio Phalereo ab Atheniensibus habitis, veterum de ejus principatu judicia afferamus, quibus meum judicium subjungere liceat.

Respicientibus nobis res per hos decem annos a Demetrio gestas, quippe quae omnes reipublicae civiumque salutem spectarent, non mirandum est, quod Athenienses pro tot tantisque meritis non ingratos erga eum se praestiterunt, id quod ex duabus potissimum rebus patere videtur. Primum enim archontis eponymi munus ab Atheniensibus ei demandatum erat Ol. 117, 4. (309 a. Chr.)[1]. De tempore quidem, quo Demetrius archontis[2]) munere functus est, pauca tantum veteres tradiderunt. Longe gravissimum testimonium ex Duride refert Athenaeus XII. 60 (p. 542 e.), ita disserens: *ἐν δὲ τῇ πομπῇ τῶν Διονυσίων, ἣν ἔπεμψεν ἄρχων γενόμενος, ᾖδε χορὸς εἰς αὐτὸν ποιήματα Σευρώμενος*[3]) *τοῦ Σολέως, ἐν οἷς ἡλιόμορφος προςηγορεύετο·*

Ἐξόχως δ' εὐγενέτας ἠπιόμοιρος[4]) *ζαθέοις*
ἄρχων σε τιμαῖς γεραίρει.

---

1) Diod. XX, c. 27. *Ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησι Δημητρίου τοῦ Φαληρέως τὴν ὕπατον ἀρχὴν ἐν Ῥώμῃ παρέλαβον Κόϊντος Φάβιος, τὸ δεύτερον καὶ Γάϊος Μάρκιος.* Dionys. in Din. c. 9. (p. 650). cf. Corsini F. A., T. IV. p. 63.

2) Demetrius Phalereus archon Theodorum atheum impietatis accusatum judicio liberasse dicitur cf. Diog. L. II. 86 et 97.

3) Melius *Καστορίωνος*.

4) Pro *ἡλιόμορφος*.

Unde videmus, Demetrium Phalereum, cui tanquam archonti solennis Dionysiorum pompa ducenda esset, carmine chori esse honoratum, in quo propter pulchritudinem [1]) suam comparatur cum Sole et nobili genere ortus [2]) appellatur.

Alterum gratae mentis signum, quod dederunt Athenienses Demetrio Phalereo, idque admodum nobile, est statuarum honor ei habitus. Quamquam melioribus

---

[1]) Demetrium Phalereum pulchritudine corporis excelluisse multis locis probatur. Diog. L. V. 76. narrat, cum a meretrice quadam *χαριτοβλέφαρον* et *Λαμπετώ* appellatum esse. Idem Hesychius Milesius (p. 16 extr. ed. Orell.): *Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς τοσοῦτον ἦν εὐπρεπής, ὡς ὑπό τινων προςαγορευθῆναι Λαμπετὼ καὶ χαριτοβλέφαρος* et Athenaeus XIII, 7. (p. 593); Suidas: *οὕτω δὲ ἦν σφόδρα εὐπρεπής, ὥστε καὶ διαβολὴν λαβεῖν, ὅτι γέγονεν ἐρώμενος νεός.* Quare cum plurimum amasse dicitur Arcesilaus philosophus (Diog. L. IV. 6 41. et eandem rem spectant Diogenis verba V. 5, 75. *ἀλλὰ καὶ ὑπὸ Κλέωνος πεπονθέναι.*)

[2]) Qua de re quid sit judicandum, jam supra memoravimus. Quare non est, quod haec ad Demetrium Poliorceten spectare statuamus, quem et ipsum, quum Leucade Athenas venisset, prosodiis, choris et ithyphallicis carminibus ab Atheniensibus celebratum esse idem Duris refert apud Athen. VI. 62. *εἰς αὐτὸν τὸν Δημήτριον παιᾶνας καὶ προςόδια ᾄδοντες* et l. i. *ἐπανελθόντα δὲ τὸν Δημήτριον ἀπὸ τῆς Λευκάδος καὶ Κερκύρας εἰς τὰς Ἀθήνας, οἱ Ἀθηναῖοι ἐδέχοντο οὐ μόνον θυμιῶντες καὶ στεφανοῦντες καὶ οἰνοχοοῦντες, ἀλλὰ καὶ προςόδια καὶ χόροι καὶ ἰθύφαλλοι μετ' ὀρχήσεως καὶ ᾠδῆς ἀπήντων αὐτῷ κτλ.* Carmen illud ithyphallicum, quod Duris Samius secundo et vigesimo historiarum adposuerat, conservatum est ab Athenaeo l. l., quare de illa re nulla amplius esset dubitatio, si et ipsum carmen, quo Demetrius Phalereus celebratur, aetatem tulisset. Attamen facile fieri poterat, ut populus Atheniensis tam inconstans et mobilis in utriusque honorem carmina caneret, id quod aliis quoque rebus probabile est. Demetrius enim Phalereus illo tempore archon erat, et sic celebratur archon Demetrius Poliorcetes, rex et servator nominatur eo tempore (Ol. 118, 2. Diod. XX, 25), quo archontes jam abrogati erant (Diod. XX, 73 Plut. in Demetr. 10); deinde ithyphallicum illud carmen compositum est in honorem Demetrii Poliorcetae, alterum vero in honorem Bacchi in festis Dionysiis, tum et ipsa carminum verba diversa sunt; Demetrius Poliorcetes non *εὐγενέτας* appellatur neque *ἡλιόμορφος*, sed *ἥλιος* ipse. Huc accedit, quod ex Duride et diversis quidem libris utrumque refertur, quem in errore versatum esse eam ipsam ob rem vix statui potest.

reipublicae temporibus viris optime de civitate meritis ne justos quidem honores tribuere solebant, postea, libertate Atheniensium amissa et moribus eorum magis magisque in pejus mutatis, in honoribus tribuendis omnem modum ita excesserunt, ut, quod antea aut nunquam aut parcissime tribuerant, postmodo profunderent [1]. Quapropter neminem mirari subeat, quod Athenienses in Demetrii Phalerei honorem, ut gratae mentis signum exhiberent, tantam statuarum multitudinem posuerunt, quarum in numero veteres inter se parum consentiunt. Corn. Nepos in Milt. c. 6. ait, trecentas fuisse statuas, idemque refert Plutarchus in reip. ger. praec. c. 27 [2]; Strabo autem l. 9, 398 narrat, invidiam et cum paucis susceptas inimicitias tantum valuisse, ut, Cassandro mortuo, Demetrius Phalereus in Aegyptum fugere coactus fuerit statuasque ejus plures quam trecentas motu facto adversarii dejecerint; trecentas sexaginta habent Varro, Plinius (H. N. 34, 6) et Diog. L. (V., 5. 75); Dio Chrysostomus [3] denique, quod omnem fidem excedit, mille et quingentas statuas Demetrio positas esse dicit. Eorum autem numero plurimum fidei tribuendum esse arbitror, qui trecentas sexaginta fuisse tradunt, quandoquidem Varro etiam ejus caussam numeri prodit, quum dicit:

Hic Demetrius aenëas tot aptust,
Quot luces habet annus absolutus.

Neque abhorret a veri specie, Athenienses fortasse propterea hunc statuarum numerum elegisse, ut attici anni dierum numerum aequaret [4]. Has autem statuas ne trecentis [5] quidem diebus confectas et plerasque earum in curribus bigisque collocatas esse ait Diog. L. V. 5. Tales autem honores illis temporibus crebriores fuisse, id documento inservit, quod, Demetrio Phalereo e civitate ejecto, Antigono ejusque filio Demetrio Poliorcetae effusiores etiam honores habiti sunt. — Qui-

[1]) Grauert. p. 312: „Es mag dies Uebertreibung und unwürdige Schmeichelei sein. Allein die Ehre einer Bildsäule war damals in Griechenland gemein geworden, sie wurde Possenreissern, Hetären und Nichtswürdigen zu Theil. Wie immer, mussten diese Ehren gesteigert werden, bis zum Unsinn u. s. w.

[2]) τῶν δὲ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως τριακοσίων ἀνδριάντων οὐδεὶς ἔσχεν ἰὸν, οὐδὲ πίνον, ἀλλὰ πάντες ἔτι ζῶντος προανῃρέθησαν.

[3]) Orat. 37. p. 465 ed. Reiske.

[4]) Grauert. p. 312. „Die den Tagen des Jahrs gleiche Zahl sollte neuen Werth geben."

[5]) Diog. L. V. συντελεσθείσας ἐν οὐδὲ τριακοσίαις ἡμέραις.

bus ex honoribus Demetrio tributis jam patere videtur, Athenienses hunc principatum Demetrii maximopere approbasse; de quo quid veteres existimaverint, videre liceat. Comparantes ea, quae veteres tradiderunt, a plerisque hanc reipublicae administrationem laudari invenimus. Strabo XI, p. 243 Tauch. de hoc tempore dicit: ἔνιοι δέ φασι καὶ βέλτιστα τότε αὐτοὺς πολιτεύσασθαι δέκα ἔτη χρόνον, idemque paulo post: οὐ μόνον οὐ κατέλυσε τὴν δημοκρατίαν, ἀλλὰ καὶ ἐπηνώρθωσε. Δηλοῖ δὲ ὑπομνήματα, ἃ συνέγραψε περὶ τῆς πολιτείας ταύτης ἐκεῖνος. Quibuscum sane dissentire videtur Suidas, quum dicit: Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς τὰ Ἀθήνησιν ἦγεν εἰς ὀλιγαρχίαν. At vero dissensio, quamvis prima specie maxima videatur, revera non tanta est, ut alterius judicium reprobemus. Jam supra enim explanavimus, Demetrium ei reipublicae formae favisse, quam Aristoteles dicat πολιτείαν, h. e. eam, quae quasi media sit inter populare imperium et paucorum dominationem, eamque in Atheniensium republica instituere studuisse. Itaque Demetrium ad unam aeque ut ad alteram formam accessisse Strabo et Suidas judicare poterant. Diod. Sic. XIII. 667. de Demetrii principatu dicit: ἦρχεν πρὸς τοὺς πολίτας φιλανθρώπως, et Aelianus IV, 17. Ἀθήνησιν ἐπιφανέστατα ἐπολιτεύσατο. Diog. L. V. 75. πολλὰ δὲ καὶ κάλλιστα τῇ πατρίδι ἐπολιτεύσατο. Neque negligendum est, quid de principatu Demetrii senserit ipse ejus adversarius Demochares apud Polyb. XII, 13, ubi ejus reipublicae administrationem laudans hoc unum vituperat, quod patriam tanquam decore et ornatu suo privatam Cassandro subjecerit (ἐπολει Κασσάνδρῳ τὸ προσταττόμενον), φάσκων αὐτὸν τοιοῦτον γεγονέναι προστάτην τῆς πατρίδος, καὶ ἐπὶ τούτοις σεμνύνεσθαι, κατὰ τὴν πολιτείαν ἐφ' οἷς ἂν καὶ τελώνης σεμνυνθείη ἢ βάναυσος. ἐπὶ γὰρ τῷ πολλὰ καὶ λυσιτελῶς πωλεῖσθαι κτλ. Omnium autem maxime laudat Demetrium Cic. pro Rabir. p. 23. „Demetrium, qui Phalereus vocitatus est, video et ex republica Atheniensi, quam optime digesserat et ex doctrina nobilem et clarum; idemque de leg. III, 6., 14. Demetrius Phalereus, a Theophrasto doctus, mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum otioque non modo in solem atque pulverem, sed in ipsum discrimen aciemque produxit. Nam et mediocriter doctos magnos in republica viros et doctissimos homines non nimis in republica versatos multos commemorare possumus. Qui vero utraque re excelleret, ut et doctrinae studiis et regenda civitate princeps esset, quis facile praeter hunc inveniri potest? cf. de leg. II. 25. de rep. II, 1. 2. doctus vir, Atheniensium rempublicam exsanguem jam et jacentem sustentavit. A Syncello τρίτον νομοθέτην eum nominatum esse itemque a Plutarcho, jam supra

vidimus. Cum judicio autem illorum Strabonis, Aeliani, Diod. Sic., Diogenis, Ciceronis, aliorum, qui administrationem Demetrii certatim laudant, minime conveniunt ea, quae apud Pausaniam in Atticis I, 25. et apud Phaedrum leguntur, quorum alter Demetrium dicit tyrannum Atheniensibus datum a Cassandro, sed tyrannide dejectum a Demetrio Poliorcete, alter, Phaedrus V. 1., eum tyrannum vocat, qui imperio improbo occupaverit Athenas. Sed illorum judicium jam bene perspexit et illustravit Perizonius ad Aeliani V. H. III, 17: „Verumtamen, quia erat urbi datus *ἐπιμελητής* a Cassandro, et ita facto ipso praecipuam istic obtinebat potestatem atque auctoritatem, immo pene plus, quam ipse populus, videbatur posse, ideo, licet sua illa potestate minime abuteretur, tyrannus tamen Atheniensium, aeque ac Lindiorum Cleobulus, et civitas hoc ejus imperio improbo, quia non a populo acceperat et populus id invitus ferebat, oppressa dicitur." Huc accedit, quod verisimile est, Phaedrum confudisse Demetrium Phalereum cum Demetrio Poliorcete, quum plura in hac fabula insint, quae in Phalereum parum conveniant. Hoc certe falsum, quod Phaedrus dicit, Demetrium Phalereum ignorasse Menandrum, cujus amicum et familiarem eum fuisse supra diximus. —

Quos locos ex Duride et Caristio affert Athenaeus, infra, quum de moribus Demetrii agetur, illustrabimus, nunc hoc tantum memoramus, ab eodem Duride Demetrio crimini esse datum, quod longe majorem redituum partem civitatis in suum ipsius usum converterit (*τὰ λοιπὰ πάντα διὰ τὴν ἔμφυτον ἀκρασίαν ἠφάνιζε* Athen. XII, p. 572). Duris autem, quamquam hominem in historia diligentem eum nominat Cicero ep. ad Att. VI. I., de Demetrio non satis vere judicasse videtur, siquidem ex iis, quae supra de reditibus diximus, satis constat, plurimam vectigalium partem in reipublicae usum ac salutem collatam esse.

Plus autem valere videtur Timoclis comici testimonium, quod asservavit Athen. VI. p. 245. *Ὅτι δ' ἦν ἔθος τοὺς γυναικονόμους ἐφορᾶν τὰ συμπόσια καὶ ἐξετάζειν τῶν κεκλημένων τὸν ἀριθμὸν, εἰ ὁ κατὰ νόμον ἐστὶ Τιμοκλῆς ἐν Φιλοδικαστῇ φησιν οὕτως·*

> *Ἀνοίγετ' ἤδη τὰς θύρας, ἵνα πρὸς τὰ φῶς*
> *ὦμεν καταφανεῖς μᾶλλον, ἐφοδεύων ἐὰν*
> *βούληθ' ὁ γυναικονόμος λαβεῖν ἀριθμὸν*
> *κατὰ τὸν νόμον τὸν καινὸν, ὅπερ εἴωθε δρᾶν,*
> *τῶν ἑστιωμένων. ἔδει δὲ τοὔμπαλιν,*
> *τὰς τῶν ἀδείπνων ἐξετάζειν οἰκίας.*

Quibus verbis fide tributa, non solum judicium illud, quod Cicero et alii fecerunt, restringitur, sed etiam, quae supra de instaurata Atheniensium opulentia auctisque opibus diximus, tolli videntur. At vero non tanta est illorum verborum auctoritas, ut sententia nostra mutetur. Id certe nemo negabit, in opulentissima quaque civitate etiam pauperes inveniri, neque omnes cives opibus ita pollere, ut convivia, qualia Timocles dicit, habere possint; idemque valet de Atheniensium civitate sub Demetrio principe opulentiore. Deinde autem id maxime est respiciendum, tale quid Demetrio exprobrare poëtam comicum, qui, abhorrens a tali morum custodia, quam Demetrius gynaeconomis crediderat, id ipsum, ut sibi et aliis placeret, in ludibrium vertere studeret. Ita et is locus, qui unus Demetrii in republica administranda laudem minuere videbatur, expeditus est.

His disputatis, restat, ut veterum judiciis meum adjiciam, quod et illorum sententiis et iis, quae de vita ejus et rebus gestis sunt exposita, nititur. — Externae civium saluti Demetrium Phalereum optime consuluisse, exsanguem jam et jacentem, ut Ciceronis verbis utar, rem sustentasse, ex iis, quae supra sunt memorata, satis apparet, idque ne ipse quidem adversarius ejus, Demochares, negavit; quam rem quomodo ad effectum adduxerit, nec opus est nec habet iterare. Optime igitur jure et Demetrius sibi ipse et veteres hanc laudem ei tribuerunt, nec mirum inde, quod Athenienses, qui a rebus publicis paulatim magis magisque abalienati essent, libertatis amissae obliti, pro tantis meritis tantis honoribus eum affecerunt. In ipsa autem republica administranda Lycurgi, qui hac in re valde excelluerat, exemplum ita imitatus erat, ut et ipsum vectigalium numerum, qualis sub illius procuratione fuerat, aequare studeret.

At vero aliter se habet res, quaerentibus nobis, num ipse principatus, num ea ipsa reipublicae forma, quam Demetrius Athenis induxit, et ipsis Atheniensibus et veteribus, qui judicium de eo fecerunt, placuerit. Qua in re cum iis faciam, qui principatum ejus tyrannidem fuisse affirment, quippe quum Demetrius, etsi ab Atheniensibus electus, tamen a Cassandro, qui Athenienses sibi subjecerat, princeps Athenarum constitutus esset, ita ut Cassandri imperio obnoxius, externis reipublicae formis quidem permanentibus, sed republica ipsa sublata, tanquam tyrannus h. e. ab Atheniensibus, qui popularis imperii desiderio etiam tum tenerentur, invitis receptus principatum teneret. Populare enim imperium interierat, cujus reliquiae tales, quales in principatu suo Demetrius retinebat, animos Atheniensium

explere non poterant. Sicuti in externa reipublicae administratione Lycurgi inprimis vestigiis institerat, eaque omnia assequi studuerat, quae in Lycurgi administrationem incidunt, ita in institutis ac legibus, quas tulit, sanxit et instauravit, Solonis exemplum ad imitandum sibi proposuerat. Quam reipublicae formam Athenis dare studuerit, eandem, quam in scriptis suis probaverit, fuisse, jam supra est dictum. Erat πολιτεία, quae quum Atheniensibus popularis imperii cupidis displiceret, factum est, ut civitas Atheniensium, cujus administrandae et gubernandae omnes Athenienses prius participes fuerant, languida et quasi emortua ab unius arbitrio penderet *). Demetrium Phalereum autem in principatu veram suam sententiam secutum esse neque temere in Atheniensium populum consuluisse, ea, quae de ratione ejus ac doctrina, quae omnino Peripateticorum erat, jam supra diximus, satis demonstrant. —

Cap. VII.

De privatis Demetrii Phalerei moribus.

De moribus Demetrii Phalerei, cujus administratio reipublicae a plurimis veterum scriptoribus mirum quantum laudatur, non idem judicium a veteribus audimus, quippe qui pessime eum moratum fuisse tradant.

Duo inprimis loci accuratius hic respiciendi sunt, quos ex Duride et Carystio servavit Athenaeus XII. p. 542 et 543.

Δημήτριος δὲ ὁ Φαληρεὺς, ὥς φησι Δοῦρις ἐν τῇ ἑκκαιδεκάτῃ τῶν ἱστοριῶν, χιλίων καὶ διακοσίων ταλάντων κατ' ἐνιαυτὸν κύριος γενόμενος, καὶ ἀπὸ τούτων βραχέα δαπανῶν εἰς τοὺς στρατιώτας καὶ τὴν τῆς πόλεως διοίκησιν, τὰ λοιπὰ πάντα διὰ τὴν ἔμφυτον ἀκρασίαν ἠφάνιζε, θοίνας τε καθ' ἑκάστην ἡμέραν λαμπρὰς ἐπιτελῶν καὶ πλῆθός τι συνδείπνων ἔχων. καὶ ταῖς μὲν δαπάναις ταῖς εἰς τὰ δεῖπνα τοὺς Μακεδόνας ὑπερέβαλε, τῇ δὲ καθαριό-

*) Droysen I. p. 431. „Anstatt des ehemaligen lebendigen Staatslebens in Athen, eine todte Ordnung, ein Mechanismus, wie ihn nur ein erstorbenes Volksthum über sich dulden."

τητι Κυπρίους καὶ Φοίνικας· ῥάσματά τε μύρων ἔπιπτεν ἐπὶ τὴν γῆν, ἀνθινά τε πολλὰ τῶν ἐδαφῶν ἐν τοῖς ἀνδρῶσι κατεσκευάζετο διαπεποικιλμένα ὑπὸ δημιουργῶν. ἦσαν δὲ καὶ πρὸς γυναῖκας ὁμιλίαι σιωπώμεναι καὶ νεανίσκων ἔρωτες νυκτερινοί, καὶ ὁ τοῖς ἄλλοις τιθέμενος θεσμοὺς Δημήτριος καὶ τοὺς βίους τάττων ἀνομοθέτητον ἑαυτῷ τὸν βίον κατεσκεύαζεν. ἐπεμελεῖτο δὲ καὶ τῆς ὄψεως, τήν τε τρίχα τὴν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ξανθιζόμενος καὶ παιδέρωτι τὸ πρόσωπον ὑπαλειφόμενος καὶ τοῖς ἄλλοις ἀλείμμασιν ἐγχρίων ἑαυτόν· ἠβούλετο γὰρ τὴν ὄψιν ἱλαρὸς καὶ τοῖς ἀπαντῶσιν ἡδὺς φαίνεσθαι. ἐν δὲ τῇ πομπῇ τῶν Διονυσίων, ἣν ἔπεμψεν ἄρχων γενόμενος, ᾖδε χορὸς εἰς αὐτὸν ποιήματα Σειρώμενος τοῦ Σολέως, ἐν οἷς ἡλιόμορφος προσηγορεύετο

'Εξόχως δ' εὐγενέτας ἡλιόμοιρος ζαθέοις
ἄρχων σε τιμαῖς γεραίρει.

Καρύστιος δὲ ὁ Περγαμηνὸς ἐν τρίτῳ ὑπομνημάτων „Δημήτριος (φησὶν) ὁ Φαληρεὺς Ἱμεραίου τοῦ ἀδελφοῦ ἀναιρεθέντος ὑπ' Ἀντιπάτρου αὐτὸς μετὰ Νικάνορος διέτριβεν, αἰτίαν ἔχων ὡς τὰ Ἐπιφάνεια τοῦ ἀδελφοῦ θύων. Κασάνδρῳ δὲ γενόμενος φίλος μέγα ἴσχυσε. καὶ κατ' ἀρχὰς μὲν ἦν αὐτοῦ τὸ ἄριστον ὀξύβαφα παντοδαπὰς ἐλάας ἔχοντα καὶ τυρὸν νησιωτικόν. ὡς δ' ἐπλούτησε, Μοσχίωνα τὸν ἄριστον τῶν τότε μαγείρων καὶ δειπνοποιῶν ἐωνήσατο, καὶ τοσαῦτα ἦν τὰ παρασκευαζόμενα καθ' ἡμέραν ὥστε χαρισαμένου τῷ Μοσχίωνι τὰ λείψανα Μοσχίων ἐν ἔτεσι δύο τρεῖς συνοικίας ἐωνήσατο, παῖδάς τ' ἐλευθέρους ὕβριζε καὶ γυναῖκας τὰς τῶν ἐπιφανεστάτων. ἐζηλοτύπουν δὲ πάντες οἱ παῖδες τὸν ἐρώμενον αὐτοῦ Θέογνιν· καὶ τοσοῦτον ἦν τῷ Δημητρίῳ προσελθεῖν ὥστε μετ' ἄριστον αὐτοῦ περιπατήσαντος παρὰ τοὺς Τρίποδας συνῆλθον εἰς τὸν τόπον παῖδες κάλλιστοι ταῖς ἑξῆς ἡμέραις, ἵν' ὀφθεῖεν αὐτῷ.“

Unde ei crimini datum esse videmus, quod quam legibus civium mores emendare studuerit, exemplo suo ipsos corruperit. Gravia sane sunt crimina, quae in virum philosophiae laude florentem, quem rempublicam bene rexisse totque salutares res instituisse audimus, ab his conjecta videmus, quare etiam non defuit, qui, ut Phalereum his criminibus liberaret, hunc Athenaei locum ad Demetrium Poliorcetem pertinere sibi persuaserit, Bonamiuum dico in Inscr. VIII. p. 168 et 169 [1]).

---

[1]) p. 168. „Enfin mon embarras pour disculper Démétrius de Phalère a cessé à la lecture d'un chapitre d'Elien, où il traite de l' incontinence de Démétrius Poliorcétes, je n'ay plus douté alors, qu'on n'eut mis sur le compte de Démétrius de Phalère ce qui ne convenoit qu'au fils d'Antigonus. Je ne rapporteray pas icy ce que dit

monet, Athenaei errore de Phalereo esse relata, quae pertineant ad Demetrium Poliorceten, hoc praecipue argumento nisus, quod eadem, quae Athenaeus de D. P. referat, iisdem fere verbis apud Aelian. IX, 9. de Dem. Poliorcete tradantur. Id certe constat, alterum eorum errasse, sed libentius faciam cum Perizonio in notis ad Aelian. IX. 9., qui Aelianum potius, quam Athenaeum, deceptum esse monet. „Habet et hoc caput auctor ex Athenaeo XII, 11, sed ita, ut quem ille ex Duride, antiquo scriptore, Demetrium Phalereum, noster Demetrium Poliorceten dicat. Insigni errore, cujus ego non aliam iterum esse reor causam, quam quod in adversariis suis illud notaverit nomine Demetrii, et dein ad Poliorceten potius retulerit, quam Phalereum, quia hunc notat philosophum et legumlatorem, quem praecipuis ornat laudibus supra III, 17., illum vero etiam alibi XII, 17. describit ut lascivum et luxuriosum, quod revera fuit Poliorcetes ille etiam ex aliorum testimonio. Kuhnius putat auctorem hic de utroque Demetrio locutum sed excidisse, quae de Poliorcete dixerit, et quae de Phalereo coeperit dicere; librarios dein neglecta lacuna, quam statuit post ἤρει τὰς πόλεις, contraxisse omnia in unam Poliorcetae historiam. Ratio illius sententiae est, quod reliqua hujus capitis ab Athenaeo ad Phalereum referantur, et in eum magis, quam Poliorceten, auctoris nostri verba convenire, indubium putet."

Aelianum autem, ut ipsa ejus verba indicant, iisdem atque Athenaeum fontibus usum esse verissimillimum est, ita ut in utrumque locum idem conveniat.

Quamquam de fide utriusque scriptoris dubitari potest, et Duridis Samii, quem multa alia adversus Athenienses mentitum esse Plutarchus docet, et Carystii Pergameni, de quo jam supra dictum est, illa tamen crimina Demetrio Ph. facta non plane ficta et commenticia esse videntur, etiamsi, quum D. P. postea in odium civium incidisset, multa nimium aucta et verbis exaggerata esse verisimile sit. Nam alii quoque scriptores, qui in aliis rebus laudibus ejus minime obtrectaverunt, neque ab omni luxuria eum vindicare neque de ejus morum probitate nobis persuadere potuerunt. Diog. L. V. 75. τὸ ἐπὶ τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ ἐπέγραψαν ἀνομίας. Inprimis in iis, quae de amoribus Demetrii traduntur, veteres

Elien, parceque c'est précisément la même chose, que ce qu' Athénée cite de Duris; p. 169. De-là il faut conclure, qu' Athénée s'est trompé, en attribuant à Démétrius de Phalère ce que Duris avoit dit de Démétrius Poliorcétes etc.

consentire videntur, qui Demetrium non solum amicis vel meretricibus, in quibus Lamia, celeberrima illa meretrice et tibicina, usum, verum etiam muliebria passum aliisque abutendum se permisisse nec non ipsum alios paedicasse referunt.

Valde praeterea improbanda et vituperanda est Demetrii ambitio atque ostentatio, quae vitia cum ex magna ejus potentia, tum maxime ex blanditiis et assentationibus eorum, qui circa eum versabantur, exorta esse videntur. Neque profusam ejus luxuriam silentio praeterire debemus, quum praesertim ultimis quidem dominationis suae temporibus reipublicae quoque vectigalibus tanquam privatis eum usum esse negari non possit [1].

---

[1]) cf. Diog. L. V. 75. 76. IV. 6. 41. Hesychius p. 16. extr. ed. Orell. Athen. XIII. 7. (p. 593.), Suidas et alii. Adnotanda est discrepantia, quae inter Athenaeum et Diogenem L. intercedere videtur, quorum alter (A.) Δίυλλον, alter (D.) Δίδυμον ἐν Συμποσιακοῖς ejusdem rei auctorem nominat. Sunt, qui Athenaei locum corrigendo Δίδυμον emendare studerent, sed id certe minus recte. Res potius ita se habet. Diyllus Atheniensis, Demetrii aequalis (cf. Voss de hist. Graec. p. 360.), qui historiam Ephori continuavit, hoc certe de Demetrio Phalereo memoriae prodidit. Didymus autem, idem memorans, illius auctoritate usus esse videtur, ita ut et Athenaeum et Diogenem ex eodem fonte, ex Didymo, hausisse verisimile sit, hoc tantum discrimine intercedente, quod Diogenes ultimum fontem, Didymum, Athenaeus Diyllum, Didymi auctorem, appellat. —

De moribus Demetrii cf. Droysen. p. 426, qui morum Demetrii imaginem ex Athenaeo adumbratam accuratius depinxit. „Er lebte erst sehr philosophisch und sein Tisch war frugal genug mit Oliven in Essigbrühe und mit Käse von den Inseln besetzt. Sobald er aber Herr in Athen war, wandte er von jenen 1200 Talenten weniges auf die Truppen oder die Verwaltung der Stadt, alles andere vergeudete er in der ihm angeborenen Schwelgerei. Jeden Tages hielt er grosse Gastmähler, lud jedes Mal eine grosse Anzahl von Gästen ein, übertraf durch den Aufwand bei den Mahlzeiten selbst die Macedonier, durch Eleganz die Cyprier und Phönicier; mit Narden und Myrrhen wurde gesprengt, der Estrich mit Blumen überstreut, köstliche Teppiche und Malereien waren umher; so kostbar und schwelgerisch war seine Tafel, dass sein Sklave Koch, dem die Ueberbleibsel zufielen, für den Ertrag ihres Verkaufes sich nach zwei Jahren drei Güter kaufen konnte. Er liebte heimlichen Verkehr mit den Weibern, nächtlichen Besuch bei schönen Knaben; freigeborene Knaben missbrauchte er, auch die Gemahlinnen der vornehmsten Männer verführte er; die Jünglinge beneideten alle den Theognis, der seiner schändlichen Liebe genoss; für so be-

Sed, etiamsi ab his criminibus Demetrius Ph. liberari non possit, eum tamen morum suavitate, animi constantia et magna liberalitate excelluisse et veteres [1]) retulerunt et ex multis documentis supra memoratis dispicitur.

Cap. VIII.

De altero Demetrii Phalerei exsilio ejusque Thebis peregrinatione.

Quamquam Demetrius Ph. sua reipublicae administratione vectigalibus optime consuluerat, unde factum est, ut tot tantisque honoribus Athenienses eum afficerent, tantum tamen abfuit, ut ipsius principatum, quo pristina sua libertate privatierant, retinere caperent, ut omnem occasionem ejus recuperandae arripere paratissimi essent. Nondum enim plane interierat eorum factio, qui a Macedonum optimatiumque partibus aversa, illorum jugum excutiendi summo studio et amore tenebantur. Quare non est mirandum, quod tales viri, libertatis et popularis imperii desiderio capti, apertam seditionem quidem propter praesidium Munychiae collocatum metuentes, Demetrio Phalereo inscio, ad Antigonum Asiae regem aemulumque Cassandri mittebant, qui, ut in libertatem restituerentur, ab eo peterent.

Itaque factum est, ut jam anno 312. a Chr., quum Ptolemaeus ab Antigono missus, classe ad Boeotiam appulsa, ad Atticae fines propius accessisset, Demetrius Phalereus a magno civium numero, qui a Macedonum partibus alienati essent, ad inducias cum Antigono faciendas legatos ad illum ipsum mittere cogeretur. Antigonus, qui Cassandro Graeciam eripere studeret, (311 a Chr.) pacem cum Atheniensibus fecerat, qua Graecarum civitatum libertatem pronuntiari et

---

neidenswerth galt es, sich ihm hinzugeben, dass jeden Tags, wenn er nach dem Essen auf der Tripodenstrasse spazieren ging, die schönsten Knaben dort zusammenkamen, um von ihm gesehen zu werden. Mit grosser Auswahl besorgte er seinen Anzug, er färbte sich sein Haupthaar blond, schminkte sich, salbte sich den Körper mit kostbaren Oelen; er zeigte stets ein lächelndes Antlitz, er wollte Jedermann gefallen.“

[1]) Cic. Brut. c. 9. Diog. L. V. 5. Plut. de exsil. T. I. p. 601.

praesidium Munychiae collocatum in Macedoniam redire jussit [1]). Sed Athenienses libertatis cupidos spes valde fefellit, quum Cassandro cum Ptolemaeo Aegypti rege ita convenisset (308 a. Chr.), ut status rerum, qualis Athenis esset, confirmaretur, *καθ' ἣν ἑκατέρους ἔδει κυριεύειν τῶν πόλεων, ὧν εἶχον·* (Diod. Sic. XX, 37.) Demetrius Phalereus Athenarum urbem in potestate sua retineret suumque principatum quatuor porro annos integrum servaret [2]). Ita potentia Antigoni in Graecia, quum idem Ptolemaeus, qui in Graeciam erat missus, et Polysperchon descivissent, plane infracta videbatur. —

At vero magna rerum commutatio Athenis exorta est anno 307 a. Chr., quo Antigonus summa virium contentione consilium suum Cassandro Graeciam eripiendi persecutus erat. Quum enim Antigoni filius, Demetrius, qui postea Poliorcetes dictus est, a patre adjutus ex Asia cum ducentis quinquaginta navibus ex inopinato Athenas adveniret, Athenienses autem hanc classem propius advectam auxilio sibi missam putarent a Ptolemaeo, Aegypti rege, ille classe sua, priusquam cives arma capere possent, in Piraeum invasit et, cum silentium et audientiam sibi fecisset, per praeconem pronuntiavit, sese, quod felix faustumque esset, a patre missum esse, ut Atheniensibus libertatem restitueret, praesidium ejiceret, ac leges illis et patriam reipublicae formam redderet [3]). Tum vero omnes, scutis hastisque abjectis, recipiendum eum existimabant. Demetrius Phalereus quidem cum fuis et Dionysius Munychiae praefectus de muris hostem propulsare studebant; sed quum quidam ex Antigoni militibus, facta eruptione, juxta litus moenia transcendissent Piraeumque cepissent, Dionysius in Munychiam refugit, Demetrius Phalereus in urbem valde commotam se recepit [4]). Itaque Demetrius Pha-

[1]) Diod. Sic. XIX, 61.

[2]) Hoc tempore Demetrius Phalereus a Cassandro jussus erat ipsi viginti naves auxilio mittere in insulam Lesbum, quam Cassander ad defectionem impulerat. Demetrius Phalereus imperatum fecerat. cf. Diod. Sic. XIX. 68.

[3]) Diod. XX, 45; multo plenius et distinctius haec narrat Plut. Demetr. c. 8. (p. 892). cf. Polyaen. Strateg. IV. 7. 6., qui a Plutarcho in eo dissentit, quod naves ab Atheniensibus inimicas habitas fuisse dicit. De tota re cf. Droysen I. p. 431. sq. Grauert, p. 322. sq.

[4]) Diod. XX. 45. *Διονύσιος ὁ καθεσταμένος ἐπὶ τῆς Μουνυχίας φρούραρχος καὶ Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐπιμελητὴς τῆς πόλεως γεγενημένος ὑπὸ Κασσάνδρου, πολλοὺς ἔχοντες στρατιώτας, ἀπὸ τῶν τειχῶν ἠμύνοντο.*

lereus, qui sibi persuasisset, urbem contra tantas copias defendi non posse, saluti suae valde timens, quippe cui a civibus libertatis studio inflammatis majus periculum immineret, quam a victore, legatos misit ad Demetrium Poliorceten, se ad deditionem urbis paratum in fidem ejus se committere. Legatis honorifice exceptis Demetrius Pol. respondit, se plurimi aestimare Phalereum moribus tam insignem et litteris tam eruditum, et in urbem misit Aristodemum Milesium, qui Phalerei saluti prospiceret eumque invitaret, ut cum Demetrio Poliorcete de conditionibus ageret [1]). Quare postero die Demetrius Phalereus cum nonnullis aliis ad Demetrium Poliorceten legatus venit, a quo honorifice exceptus impetrat, ut Atheniensibus vivere liceret suis legibus, ipse autem, furorem et inconstantiam populi timens, cum comitatu a Demetrio Poliorcete facillime concessa Thebas, quo se conferre voluerat, [2]) dimitteretur [3]). Opus autem erat Demetrio comitatu, cujus praesidio se tueri ab infesta Atheniensium multitudine posset; hoc enim moderationis et reipublicae diligenter administatae pretium tulit, ut vulgi mobilis odia in se derivaret, absens indicta causa mortis damnaretur [4]), statuae dejicerentur [5]), eraderenturque psephismata, uti notum est ex Philochoro apud Dionysium in Dinarch. p. 113.

---

[1]) cf. Plut. l. l. Droysen. p. 436.

[2]) Plut. Dem. c. 8. (p. 892. D.) *εἰς Θήβας αὐτὸν, ὥσπερ ἠβούλετο, μετὰ ἀσφαλείας συνεξέπεμψεν.*

[3]) Diod. Sic. XX. 45. *τῇ δὲ ὑστεραίᾳ πεμφθεὶς μεθ' ἑτέρων πρεσβευτὴς ὑπὸ τοῦ δήμου πρὸς Δημήτριον καὶ περὶ τῆς αὐτονομίας διαλεχθεὶς καὶ τῆς ἰδίας ἀσφαλείας, ἔτυχε παραπομπῆς, καὶ τὰ κατὰ τὰς Ἀθήνας ἀπογινώσκων ἔφυγεν εἰς τὰς Θήβας, ὕστερον δὲ πρὸς Πτολεμαῖον εἰς Αἴγυπτον. οὗτος μὲν οὖν ἔτη δέκα τῆς πόλεως ἐπιστατήσας ἐξέπεσεν ἐκ τῆς πατρίδος τὸν εἰρημένον τρόπον.*

[4]) Et imperii ipsius administrationem tanquam illegitimam accusaverunt. cf. Diog. L. V. 78. Ne amicis quidem Demetrii Phalerei pepercerunt Athenienses, quorum plurimi, ut Dinarchus Corinthius, aufugerant; Menander comicus, qui Athenis manserat, accusatus, quod Demetrii Ph. amicus fuisset, parum abfuit, quin mortis condemnaretur; Telesphorus eum servavit. cf. Dionys. Hal. de Din. c. 3. Diog. L. V. 79. Plut. X. Orat. Dinarch.

[5]) Illas imagines aerugine ex industria foedatas et dejectas, alias venditas, alias summersas aliasque in matulas conflatas (Strabo IX. p. 398.) esse dicit Diog. L. V. 5. 77; idemque eodem loco, unam solam servatam esse in arce. Quocum dissentit Plutar-

Athenienses autem hoc fecisse jussu Demetrii regis, cujus rei Favorinus auctor est apud Diog. L. V. 5. 77., vix crediderim, quum praesertim Phalereum a Demetrio Poliorcete magni aestimatum civiumque furori ereptum fuisse sciamus. Demetrius Phalereus, quum audiret, Athenienses statuas suas evertisse, dixisse fertur: At virtutem illi non everterunt, cujus gratia illos erexerant (*ἀλλ' οὐ τὴν ἀρετὴν, δι' ἣν ἐκείνας ἀνέστησαν* Diog. L. V. 82.). Demetrius Phalereus, patria expulsus [1]), comitatu a Demetrio rege addito, Thebas concesserat, quum quia haec urbs sub Cassandri ditione erat, tum maxime, ut patriae suae quam proximus esset, sperans, fore, ut, rerum conditione mutata, iterum in patriam a Cassandro restitueretur. Thebis demisso animo eum vixisse, familiaritate Cratetis philosophi usum, legimus apud Plut. de adul. et amic. discr. c. 42. *Λέγεται δὲ καὶ Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ὅτε τῆς πατρίδος ἐξέπεσε καὶ περὶ Θήβας ἀδοξῶν καὶ ταπεινὰ πράττων διῆγεν, οὐχ ἡδέως ἰδεῖν προσίοντα Κράτητα, παῤῥησίαν κυνικὴν καὶ λόγους τραχεῖς προςδεχόμενος. ἐντυχόντος δὲ πρᾴως αὐτῷ τοῦ Κράτητος καὶ διαλεχθέντος περὶ φυγῆς, ὡς οὐδὲν ἔχοι κακὸν, οὐδ' ἄξιον φέρειν βαρέως, πραγμάτων σφαλερῶν καὶ ἀβεβαίων ἀπηλλαγμένον, ἅμα δὲ θαῤῥεῖν ἐφ, ἑαυτῷ καὶ τῇ διαθέσει παρακαλοῦντος, ἡδίων γενόμενος καὶ ἀναθαρσήσας, πρὸς τοὺς φίλους εἶπε, φεῦ τῶν πράξεων ἐκείνων καὶ ἀσχολιῶν δι' ἃς ἄνδρα τοιοῦτον οὐκ ἔγνωμεν.* Accuratiora de hac in urbe Thebarum commoratione veteres non tradiderunt. Vixit ibi usque ad mortem Cassandri, quae accidit Ol. 120, 2., quo tempore Demetrium Phalereum Antigoni metu in Aegyptum ad Ptolemaeum

---

chus, quum dicit l. l. *τῶν δὲ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως τριακοσίων ἀνδριάντων οὐδεὶς εἶχεν ἰὸν οὐδὲ πῖνον, ἀλλὰ πάντες ἔτι ζῶντος προηγρίθησαν, τοὺς δὲ Δημάδου κατεχώνευσαν εἰς ἀμίδας.*

[1]) Strabo IX. p. 243. ed. Tauch. Aelian. V. H. III. 17. Diog. L. II. 77. Athenienses propterea ingrati animi crimen subiisse dicunt; et Cicero de fin. V. 19. ait: Demetrius cum patria pulsus esset injuria. Sed bene et recte hanc rem perspexit et dijudicavit Grauert, p. 324 et inprimis 325. „Wir können es also nur der Kurzsichtigkeit und Unkenntniss zuschreiben, wenn Strabo, Aelian und Diogenes L. in pomphaften Ausdrücken von der Undankbarkeit der Athener gegen Demetrius d. Phal. sprechen, und auch Cicero seinen Sturz als sehr ungerecht darstellt; und Neuere sind sehr zu tadeln, wenn sie den Wankelmuth und Leichtsinn der Athener schelten (wie Gast s. 243. Noch ärgere Leute wie Boberthon.): es war grade das treuste Festhalten an ihrer väterlichen Verfassung.“

Soterem se contulisse multumque temporis illic moratum esse refert Hermippus apud Diog. L. V. 78. *φησὶ δ' αὐτὸν Ἕρμιππος μετὰ τὸν Κασσάνδρου θάνατον φοβηθέντα Ἀντίγονον* [1]) *παρὰ Πτολεμαῖον ἐλθεῖν τὸν Σωτῆρα· κἀκεῖ χρόνον ἱκανὸν διατρίβοντα κτλ.*

Hunc igitur Antigonum, qui plerumque Antipater nominatur, ipsius Cassandri filium, utpote crudelissimum et inhumanum regem, Demetrius Phalereus metuens, Thebis relictis, opportuna fuga data, in Aegyptum ad Ptolemaeum Lagi, qui postea propter auxilium contra Demetrium Poliorceten latum Soter nominatus est, se receperat, a quo bene receptum summo in honore et abundantia eum vixisse tradit Plutarchus de exsilio p. 601. *οὗτος μὲν (Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς) ἐν Ἀλεξανδρείᾳ μετὰ τὴν φυγὴν πρῶτος ὢν τῶν Πτολεμαίου φίλων, οὐ μόνον αὐτὸς ἐν ἀφθόνοις διῆγεν, ἀλλὰ καὶ τοῖς Ἀθηναίοις δωρεὰς ἔπεμπε.* Quod autem Cicero de fin. V. 19. hoc otium Demetrii in Aegypto viventis dicit calamitosum [2]), non offendit, quum Demetrius, quamvis honorificentissime Alexandriae viveret, patria tamen ejectus in exsilio versaretur, quam sortem Graeci et Romani valde deplorabant. Optimum autem refugium Demetrius Phalereus sibi elegerat, quum Ptolemaeus Lagi non solum amicissimus esset Cassandro, Demetrii fautori, sed etiam litterarum amantissimus et studiosus [3]) multos, qui litteris excellerent, in aulam suam vocaret. [4]) Ita factum est, ut Demetrius Phalereus, quum Thebis minus tutum se esse putaret, ad eum confugeret, quem Cassandro amicum et litterarum fautorem sciebat. Quae cum ita sint, non est mirandum, quod Demetrius Phalereus a Ptolemaeo bene sit exceptus. —

---

[1]) Hic Antigonus nullus alius esse potest, quam ipsius Cassandri filius, qui plerumque Antipater nominari solet; nam Antigonus, Asiae praefectus, Demetrii Poliorcetae pater, jam ante Cassandri mortem interfectus erat. — Quare non est, quod Hermippum erroris arguamus, id quod multi minus rectefecerunt.

[2]) Plutarchus l. l. dissentire videtur, quum dicit: *Πατρὶς δὲ γίνεται πᾶσα πόλις εὐθὺς ἀνθρώπῳ χρῆσθαι μεμαθηκότι καὶ ῥίζας ἔχοντι πανταχοῦ ζῆν τε καὶ παντὶ τόπῳ προσφύεσθαι δυναμένας, οἵας εἶχε Θεμιστοκλῆς, οἵας Δημήτριος ὁ Φαληρεύς.* —

[3]) Ipse historiam scripsit de expeditionibus Alexandri Magni, ex qua Arrhianus (in praef.) se sua hausisse ipse fatetur. —

[4]) Multos philosophos Graecos ad se invitaverat, ut Stilponem Megarensem, Diodorum Cronum, Stratonem Peripateticum, alios, et magni aestimabat Theophrastum, quod patet ex Diog. L. in Theophr.

Restat denique, ut eam difficultatem expediamus, quam Polyaeni (III, 15.) verba objiciunt, quippe quae cum iis, quae de Demetrio Thebis versato disputata sunt, repugnare videantur. Polyaenus enim narrat, Demetrium Phalereum, quem rex Thraciae capere voluerit, in foeno se abdidisse posteaque in vicinam terram fugisse; Demetrium Phalereum autem in Thracia commoratum esse, nusquam alibi memoriae proditum est. Neque magis cum Droysenio (p. 436.) fecerim, qui nescio quo argumento usus Demetrium Phalereum, Athenis expulsum et paulisper Thebis commoratum in Macedoniam profectum esse statuit, unde, Cassandro mortuo, in Aegyptum concesserit. Ex mea autem sententia omnem difficultatem, in quam Polyaeni verbis incidimus, tollemus, statuentes, Demetrium Phalereum, patria expulsum, Thebas se contulisse ibique usque ad mortem Cassandri moratum, deinde autem metu Antigoni, Cassandri filii, Thebis relictis, per Thraciam et Epirum in Aegyptum profectum esse [1]. —

Ultimum caput de Demetrio Phalereo in Aegypto versato, ne justos commentationis fines excederem, cum ceteris, quae ad Demetrium Phalereum pertinent, in aliud tempus edendum distuli. —

[1]) cf. Droysen. p. 631.

Programm,

mit welchem zur

öffentlichen Prüfung und Schlussfeierlichkeit

des

Kurfürstlichen Gymnasiums zu Fulda


auf den 30. und 31. März und 1. April 1857

ergebenst einladet

der Director des Gymnasiums

Karl Schwartz.

Inhalt:



Fulda 1857.

Druck von J. L. Uth.

Postquam ante hos decem annos in commentationis de Demetrii Phalerei vita, rebus gestis et scriptorum reliquiis part. I. (Hersfeld. 1847, 64, 4.) Demetrii vitam quidem et res ab eo gestas majore ex parte exsecutus sum,[1]) uno excepto capite de Demetrii in Aegypto commoratione, quod, ne justos commentationis fines excederem, cum ceteris, quae ad Demetrium Phalereum pertinent, in aliud tempus edendum distuleram; hoc demum tempore, quo dissertationis scribendae provinciam mihi evenisse laetor, ad ea, quae adhuc sunt intermissa, studia redire mihi licet. Itaque, disputatione de Demetrii in Aegypto commoratione ad finem perducta, relinquitur, ut, nonnullis de Demetrio oratore praemissis, de scriptis ejus disquiram, ut librorum ejus fragmenta multis veterum scriptorum locis dispersa colligam collectaque secundum librorum indicem a Diogene Laërtio traditum in ordinem quendam redigam.[2])

[1]) Universam rem in duas partes ita diviseram, ut priorem libellum de vita et rebus gestis Demetrii Phalerei ederem, cui, scribendi occasione oblata, alteram commentationis partem, qua fragmenta Demetrii scriptorum continerentur, subjungere mihi in animo erat. Priorem partem novem capitibus ita comprehenderam, ut in primo capite inprimis de genere et anno natali Demetrii agerem, in secundo de ejus institutione, in tertio, quatenus se dedisset reipublicæ quasque partes esset in ea secutus, inprimis tempore belli Lamiaci, in quarto de priore ejus exsilio et quousque reipublicae gerendae particeps fuisset post bellum Lamiacum, in quinto de Demetrii Athenarum procuratione, in sexto, quid existimandum esset de ejus principatu, in septimo de moribus ejus et vita privata, in octavo de altero ejus exsilio et Thebis commoratione, in nono denique de Demetrio in Aegypto versato. —

[2]) Me quidem antevertit in reliquiis scriptorum Demetrii edendis Th. Herwig in commentatione de Demetrii scriptis (Rinteln 1850), sed quum is non justo editoris munere se functum esse, sed quales in scriptoribus invenerit, reliquias adscripsisse ipse fateatur, quum præsertim nonnullas omiserit, quæ non erant omittendae, eandem rem a me inceptam persequi non dubitavi; quare, disputatione de Demetrii vita et rebus gestis absoluta, in fragmentis, ex veterum scriptorum locis collectis, iis, quae adhuc sunt omissa, additis, in dissertationem meam transcribendis atque disponendis me continere et critica grammaticaque studia in aliud tempus in commentariis edenda differre propositum mihi est.

Cap. IX.

De Demetrii in Aegypto commoratione.

Post Cassandri mortem (Ol. 120, 2.) Demetrius Phalereus Antigonum, cui plerumque nomen est Antipatro, metuens, utpote crudelissimum atque inhumanissimum regem, Thebis relictis, opportuna fugae occasione oblata, in Aegyptum ad Ptolemaeum Lagi, cui postea cognomen inditum est Soteri, se receperat, a quo bene receptus summo in honore et abundantia vivebat.[1]) Optimum quidem hoc sibi refugium elegerat, quum Ptolemaeus Lagi et amicissimus esset Cassandro, quem Demetrii fautorem cognovimus, et praeterea ipse amantissimus litterarum[2]) multosque, qui litteris excellerent, in aulam suam vocaret.[3]) Quo factum est, ut Demetrius Phalereus, quum Thebis minus tutum se esse putaret, ad eum confugeret, quem Cassandro amicum et litterarum fautorem sciebat. Quae cum ita sint, non est mirandum, quod Demetrius a Ptolemaeo et propter summae eruditionis famam et quod Ptolemaeus erat Antigoni et Demetrii Poliorcetae, a quibus Phalereus ex urbe patria fuerat ejectus, inimicus benigne sit exceptus, adeo ut non ipse tantum abundaverit omnibus copiis, sed et amicis Athenas munera miserit luculenta.[4]) Demetrius autem tempore Ptolemaeo maxime opportuno Alexandriam venerat, quippe qui, regum Alexandrinorum primus, firmato jam sibi post bella civilia regno, in eo occupatus esset, ut Aegyptiis novas daret leges, quas ad componendas libentissime utebatur Demetrii opera et consilio, quem virum summae eruditionis et Athenarum civitatem per decem annos bene rexisse et de republica administranda quam plurima scripsisse haud ignoraret. Demetrium autem in Aegypto apud Ptolemaeum regem in rogandis ferendisque legibus primas tenuisse partes, legimus apud Aelianum V. H. III, 17. *καὶ ἐν Αἰγύπτῳ δὲ συνὼν*

[1]) Plutarch. de exsilio p. 601. ita scribit: *οὗτος μὲν (Δημήτριος ὁ Φαληρεύς) ἐν Ἀλεξανδρείᾳ μετὰ τὴν φυγὴν πρῶτος ὢν τῶν Πτολεμαίου φίλων, οὐ μόνον αὐτὸς ἐν ἀφθόνοις διῆγεν, ἀλλὰ καὶ τοῖς Ἀθηναίοις δωρεὰς ἔπεμπε.* Quod Cicero de fin. V. 19. hoc otium Demetrii in Aegypto viventis dicit calamitosum cf. comment. part. I. p. 63. Nec consentit cum Cicerone Plutarchus l. l. *πατρὶς δὲ γίνεται πᾶσα πόλις εὐθὺς ἀνθρώπῳ χρῆσθαι μεμαθηκότι καὶ ῥίζας ἔχοντι πανταχοῦ ζῆν τε καὶ τρέφεσθαι καὶ παντὶ τόπῳ προσφύεσθαι δυναμένας, οἵας εἶχε Θεμιστοκλῆς, οἵας Δημήτριος ὁ Φαληρεύς.*

[2]) Ipse historiam scripsit de Alexandri magni expeditionibus, cujus mentionem fecerunt Plinius et Plutarchus, ex qua Arrianus in praef. et al. se sua hausisse fatetur. Qu. Curtius de eodem Ptolemaeo scribit, fuisse eum peritissimum quidem bellatorem, sed pacis tamen artibus quam militiae majorem et clariorem.

[3]) Multos philosophos Graecos ad se invitaverat, ut Stilponem Megarensem, Diodorum Cronum, Stratonem Peripateticum, alios, et magni aestimabat Theophrastum, Demetrii magistrum, quod patet ex Diog. Laërt. in Theophr.

[4]) Plut. l. l.

τῷ Πτολεμαίῳ νομοθεσίας ἦρξε.[1]) Multum temporis Demetrium illic moratum regem consilio suo adjuvisse, tradit Hermippus apud Diog. Laërt. V. 5. 78. *κἀκεῖ χρόνον ἱκανὸν διατρίβοντα συμβουλεύειν τῷ Πτολεμαίῳ κτλ.* Itaque factum est, quum Ptolemaeus, qui et ipse litterarum amantissimus esset et litterarum humanitate floreret, jam ab Aristotele, ut Strabo[2]) docet, ad id excitatus vel instituto ejus motus, ut Demetrius Phalereus ei suaderet, ut libros de regno ac principatu scriptos compararet et legeret, quippe in quibus illa, quae amici monere non auderent reges, reperirentur.[3])

Demetrium Phalereum bibliothecae Alexandrinae praefectum fuisse Ptolemaeo Philadelpho regnante, Josephus et scriptores ecclesiae christianae fere omnes memoriae prodiderunt. Josephus quidem in Antiq. judaic. lib XII. c. 2.[4]) fontibus quidem, ex quibus hauserit, non allatis, tradit, Demetrium Phalereum, regiarum bibliothecarum praefectum, dedisse operam, ut, si fieri posset, omnes totius orbis libros colligeret, coëmens quotquot ubicunque audisset cognitu dignos aut cupiditati regis gratos, cujus praecipuum esset in congerendis codicibus studium. Eundem interrogatum aliquando a rege, quot millia jam comparasset, dixisse, se in praesentiarum habere circiter ducenta millia, sed brevi post habiturum quingenta millia. Idem enarravit Eusebius in Praepar. evang. lib. VIII. 2.[5]) teste usus Aristaeo de judaicarum scripturarum interpretatione, ex quo et ipsum Josephum

[1]) Verba *νομοθεσίας ἦρξε* h. l. non interpretanda esse censeo: legibus condendis operam dare coepit, sed princeps erat vel primas partes tenebat in rogandis ac ferendis legibus, quas libentissime rex in eum detulerat.

[2]) Strabo XIII. c. 1. §. 54. *ὁ γοῦν Ἀριστοτέλης τὴν ἑαυτοῦ (βιβλιοθήκην) Θεοφράστῳ παρέδωκεν, ᾧπερ καὶ τὴν σχολὴν ἀπέλιπε, πρῶτος, ὧν ἴσμεν, συναγαγὼν βιβλία καὶ διδάξας τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ βασιλέας βιβλιοθήκης σύνταξιν.*

[3]) Plutarch. in apophthegm. reg. T. II. p. 189. D. *Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς Πτολεμαίῳ τῷ βασιλεῖ παρῄνει τὰ περὶ βασιλείας καὶ ἡγεμονίας βιβλία κτᾶσθαι καὶ ἀναγινώσκειν· ἃ γὰρ οἱ φίλοι τοῖς βασιλεῦσιν οὐ θαρροῦσι παραινεῖν, ταῦτα ἐν τοῖς βιβλίοις γέγραπται.* cf. Diod. Sic. XX, 49.

[4]) Jos. ant. jud. XII. 2. *Δημήτριος ὁ Φαληρεύς, ὃς ἦν ἐπὶ τῶν βιβλιοθηκῶν τοῦ βασιλέως* (Philadelphi), *σπουδάζων εἰ δυνατὸν εἴη πάντα τὰ κατὰ τὴν οἰκουμένην συναγαγεῖν βιβλία, καὶ συνωνούμενος, εἴ τί που μόνον ἀκούσειε σπουδῆς ἄξιον ἢ ἡδὺ τῇ τοῦ βασιλέως προαιρέσει, μάλιστα γὰρ περὶ τὴν συλλογὴν τῶν βιβλίων εἶχε φιλοκάλως, συνηγωνίζετο· ἐρομένου δὲ αὐτόν ποτε τοῦ Πτολεμαίου, πόσας ἤδη μυριάδας ἔχει συνειλεγμένας βιβλίων, τῶν μὲν ὑπαρχόντων εἶναι περὶ εἴκοσι, ὀλίγου δὲ χρόνου, εἰς πεντήκοντα συναθροίσειν.*

[5]) Eus. præp. evang. VIII. 2. *κατασταθεὶς ἐπὶ τῆς τοῦ βασιλέως βιβλιοθήκης Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐχρηματίσθη πολλὰ διάφορα, πρὸς τὸ συναγαγεῖν ἅπαντα τὰ κατὰ τὴν οἰκουμένην βιβλία, καὶ ποιούμενος ἀγορασμοὺς καὶ μεταγραφὰς, ἐπὶ τέλος ἤγαγεν, ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ τὴν τοῦ βασιλέως πρόθεσιν· παρόντων οὖν ἡμῶν, ἐρωτηθεὶς πόσαι τινὲς μυριάδες τυγχάνουσι βιβλίων, εἶπεν, ὑπὲρ τὰς εἴκοσι, βασιλεῦ· σπουδάσω δ' ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ πρὸς τὸ πληρωθῆναι πεντήκοντα μυριάδας τὰ λοιπά.* cf. Valckenaer. in diatribe de Aristob. Judaeo p. 57.

hausisse apparet, Demetrium Phalereum, regiae bibliothecae praefectum, ad libros ex orbe terrarum universo congerendos, magna pecuniarum vi a rege accepta, coëmendos alios, alios exscribendos vertendosque curasse, ut, quantum in se esset, voluntati ejus satisfaceret. Ita destituti classicorum scriptorum testimoniis, qui Demetrii bibliotheca praefecturam silentio praeterierunt, ad eos, quos diximus, autores rem rejicere cogimur, quibus, etiamsi ex locupletium testium censu excludamus Aristaeum, ut hominem in aliis rebus falsi manifesto convictum, non facile fidem aliquis potest detrahere, nec Aristobulo, antiquissimo hac in re auctori ac testi, nec christianis scriptoribus, qui, licet aliorum in hac re judicium sequantur, tamen non temere nec sine judicio falsa pro veris prodidisse sunt putandi.

Neque tamen defuerunt viri docti, qui, variis causis adducti, Demetrium Phalereum curatorem sive praefectum bibliothecae Philadelphi fuisse negarent. Primum opponuntur illi narrationi Hermippi verba, quae laudat Diogenes Laërtius in vita Demetrii Phalerei V. 8.[1]) Refert enim Hermippo auctore, Demetrium regi suasorem fuisse, ut filios ex Eurydice natos regni participes faceret. Hoc consilium cum rex repudiasset et illum, quem ex Berenice susceperat, regni successorem constituisset, ab isto post patris mortem in provinciam relegatum in eaque asservatum, quoad aliquid de illo statuisset. Hic illum moestum aegritudine animi in soporem lapsum morsu aspidis interiise. His Hermippi verbis nisus statuit Scaligerus in animadvers. in Euseb. Chronic., Demetrium Phalereum, cum statim ab initio regni Philadelphi perierit, et maximo in odio ei semper sub Ptolemaeo Lagi fuerit, curatorem bibliothecae Philadelphi non fuisse. Optime autem Scaligerum refellit ac redarguit jam Valckenaer. in diatribe de Aristobulo Judaeo p. 53. „Nullo teste constare videtur, Demetrium maximo in odio Ptolemaeo filio sub Ptolemaeo Lagi patre semper fuisse. Quacunque tandem de causa suasor amico fuisse perhibetur, ex Eurydice potius quam Berenice natum regni heredem designaret, Lagidae rem non videtur persuasisse Demetrius: hunc enim sibi pater biennio, antequam moreretur, collegam adscivit in administrando regno.[2]) Tum paene decennium in Aegypto jam exe-

[1]) Diog. Laërt. V. 8. *φησὶ δ' αὐτὸν Ἕρμιππος μετὰ τὸν Κασσάνδρου θάνατον φοβηθέντα Ἀντίγονον παρὰ Πτολεμαῖον ἐλθεῖν τὸν Σωτῆρα· κἀκεῖ χρόνον ἱκανὸν διατρίβοντα συμβουλεύειν τῷ Πτολεμαίῳ πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ τὴν βασιλείαν τοῖς ἐξ Εὐριδίκης περιθεῖναι παισί· τοῦ δὲ οὐ πεισθέντος, ἀλλὰ παραδόντος το διάδημα τῷ ἐκ Βερενίκης, μετὰ τὴν ἐκείνου τελευτὴν ἀξιωθῆναι πρὸς τούτου παραφυλάττεσθαι τῇ χώρᾳ, μέχρι τι δόξει περὶ αὐτοῦ· ἐνταῦθα ἀθυμότερον διῆγε· καί πως ὑπνώττων ὑπ' ἀσπίδος τὴν χεῖρα δηχθεὶς τὸν βίον μετέθηκε — Ἡρακλείδης δ' ἐν τῇ ἐπιτομῇ τῶν Σωτίωνος διαδοχῶν τῷ Φιλαδέλφῳ τὴν βασιλείαν θέλειν ἐκχωρῆσαι τὸν Πτολεμαῖον· τὸν δ' ἀποτρέπειν φάσκοντα, ἂν ἄλλῳ δῷς, σὺ οὐχ ἕξεις.*

[2]) Ptolemaeum Lagi biennio ante obitum Ptolemaeum filium regni habuisse socium, patet et ex Diog. Laërt. l. l. et ex Eusebio apud Scalig. in animadv. ad Euseb. chron. p. 133. *καὶ ζῶντος μὲν ἔτι τοῦ*

gerat Demetrius Phalereus atque adeo tantum temporis, quantum Athenis sapienter gubernandis praefuerat. Novit Scaligerus per omne tempus illud Ptolemaeo patri Demetrium fuisse carissimum et saepe consiliarium utilissimum, sed unde noverat, virum eruditissimum atque elegantissimi ingenii juveni litterarum studiosissimo Ptolemaeo semper in maximo per omne tempus illud odio fuisse? Displicere huic debuit consilium patri datum,; sed hoc multo magis probabile fideli tutum fuisse silentio, dum alicunde per aulicum calumniatorem (sive verum esset seu fictum) emanaverit ad Ptolemaeum, quod non ante factum suspicor, quam mortuus esset amicus Demetrii. Si dederat id consilium Demetrius, atque illud mox emanaverat ad Ptolemaeum, hic propterea Demetrium odio semper prosecutus fuerat, cur non, amico rege moriente, fuga sibi consuluit, sicut ante fecerat post amici sui Cassandri mortem metuens Antigonum? Sed ex quibus deinde verbis Hermippi Scaligero constitit, Demetrium statim initio regni Philadelphi periisse. Nam quod nobis narrat Jac. Perizon. in Aeliani V. H. III, 17. invisum ab initio regni Philadelpho ideoque relegatum ab eo ac ad mortem aspidis morsu adactum, adversatur Hermippo et Ciceroni, quorum de morte Demetrii verba Scaligerus jam comparavit. Simpliciter Hermippus *μετὰ τὴν ἐκείνου* ait *τελευτήν*, quantillum fuisset, si illud alterum esset dicendum, voculam *εὐθέως* vel aliam adjecisse. Salva Hermippi fide potuit annus unus et alter intercedere, antequam in odium incurreret Philadelphi.“ Quam Valckenarii argumentationem a veri specie non abhorrere patet, neque quidquam a me addi opus est. —

Alterum, quod objicitur sententiae, qua Demetrius bibliothecae praefectus fuisse contenditur Ptolemaei Phaladelphi tempore, sumtum est ab indignitate muneris bibliothecarii. Non esse verisimile, Demetrium Phalereum, principem et legumlatorem omnium sui temporis sapientissimum, fuisse bibliothecae praefectum. Wowerus in syntagmate de graeca et latina bibliorum interpretatione c. III. ita dicit: „Quomodo quaeso illa Demetrio conveniant peripatetico philosopho, summis honoribus functo et maxima potentia celebri.“ Idem urget Humfredus Hodius (vide apud Valcken. in Aristob. Jud. p. 55), cui adversatur Isaacus Vossius de LXX interpretatione c. 4. p. 10, ubi dicit, Demetrium Phalereum bibliothecae praefectum fuisse minus mirandum esse, quam quod Dionysius tyrannus, regno privatus, litteras pueros docuerit — ad quae ita respondet Hodius: Dionysium tyrannum magno fuisse in odio apud omnes, et exutum regno necesse habuisse docendis pueris victum quaeritare, quum e contrario constet, Demetrium Phalereum, postquam a principatu suo relegatus esset, in Aegypto opibus honoreque maximo floruisse. Copiosius autem Is. Vossius refutat Hodium in append. observ. ad Pompo-

πρεῖτον Πτολεμαίου, ὃν Σωτῆρα ἐπεκάλουν δύο πληρεῖ (Philadelphus) *τὰ βασιλείας ἔτη.* De tempore, quo pater et filius simul regnare coeperint., cf. Sturz de dialecto Macedonica et Alexandrina §. 1. p. 2.

nium Melam. p. 65. 66. „Si in Galliam transeat, inquit, inveniet archiepiscopum Remensem, primatem totius Galliae, qui sit regius bibliothecarius, si Romam pergat, habebit primarium cardinalem, qui romanae ecclesiae bibliothecarii gaudeat titulo. Quodsi non tantum a magnitudine et potentia regum Aegypti, sed et a dignitate ipsius bibliothecae argumentum ducamus necesse est, tanto praestantius id munus olim fuisse existimemus, quanto Alexandrina olim bibliotheca praestantior fuit Vaticana, additis etiam in cumulum omnibus totius Europae bibliothecis, ut merito aliquis dixerit, non minus gloriosam Demetrio bibliothecae praefecturam fuisse sub Ptolemaeo, quam Athenarum sub Cassandro etc." Neque nos offendit, quod Tertullianus in Apologetico, ubi de interpretatione bibliorum agitur, Demetrium Phalereum grammaticorum tunc peritissimum nominat, quare Wowerus alium grammaticum Demetrium quaerendum esse putat. Demetrius, quem grammatica scripsisse postea videbimus, ut *περὶ Ἰλιάδος* commentarios, *περὶ Ὀδυσσείας*, *περὶ Ἀντιφάνους*, *Ὁμηρικόν*, alia, non indignus erat, qui tam honorifico nomine appellaretur, quo Tertullianum ob id ipsum usum esse verisimile est, quod mentionem ejus facit bibliothecae praefecti, quum libros iniquirere et instruere bibliothecas proprium esset grammaticorum.[1]) Hac igitur ratione Demetrium Phalereum grammaticum appellavit Tertullianus. —

Accedit tertium idque gravissimum, quod sententiae scriptorum ecclesiasticorum repugnare videtur, quod Suidas s. v. *Ζηνόδοτος* Zenodotum grammaticum bibliothecae praefectum facit eo tempore, quo Demetrius Phalereus eo munere functus esse narratur. *Ζηνόδοτος, Ἐφέσιος, ἐποποιὸς καὶ γραμματικὸς, μαθητὴς τοῦ Φιλητᾶ, ἐπὶ Πτολεμαίου γεγονὼς τοῦ πρώτου· ὃς καὶ πρῶτος τῶν Ὁμήρου διορθωτὴς ἐγένετο, καὶ τῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ βιβλιοθηκῶν*[2]) *προὔστη, καὶ τοὺς παῖδας Πτολεμαίου ἐπαίδευσεν.*[3])

[1]) Idem de Tyrannione, Epaphrodito, multis aliis proditum est. Ideo in autores eorumque opera diligenter inquirebant et indices librorum publicabant. Callimachus grammaticus composuerat *πίνακα παντοδαπῶν συγγραμμάτων*, et Telephus vulgaverat libros *βιβλιακῆς ἐμπειρίας, ἐν οἷς διδάσκει τὰ κτήσεως ἄξια βιβλία.* Ob hanc igitur multiplicem librorum peritiam grammatici bibliothecis praefici solebant. Ita apud Suetonium legimus, C. Melissum grammaticum curam ordinandae bibliothecae, quae in Octaviae porticu erat, suscepisse, et Hyginum grammaticum Palatinae bibliothecae praefuisse.

[2]) Prioris an utriusque bibliothecae, dubitare licet; quamquam illuc perducit veri quaedam similitudo, praesertim si recte se habet, quod extat in prooemiis de Apollonio Rhodio, *ὡς καὶ τῶν βιβλιοθηκῶν τοῦ Μουσείου ἀξιωθῆναι αὐτόν.*

[3]) De hoc loco v. Weichertus über das Leben und das Gedicht des Apollonius p. 12. (cf. Clint. F. H. III p. 491.). Is post Mansonem vidit rationes temporum, ut Ptolemaei Philadelphi liberos erudiendos acceperit, requirere. Probat etiam Ritschelius de bibliothecis Alexandrinorum disputans p. 82. Improbat praeter alios Hefflerus in dissert. de Zenodoto p. 4. ratus scilicet integram esse horum

Ea difficultate, quam Suidae verba *ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ πρώτου* objiciunt, a Welcherto et Ritschelio l. l. Philadelphum dictum esse probantibus, sublata, a veri specie non aberrabimus, ita ut neque antiquae ecclesiae scriptoribus omnis derogetur fides nec Suidae infringatur testimonium, statuentes, Demetrium sub Philadelpho licet breve tantum tempus bibliothecarii munere functum esse neque multo post ejus regni initium in odium regis incidisse, Zenodotum vero ei in hoc munere successisse; nisi malis conjectare, Demetrium Phalereum bibliothecae custodem sive bibliothecarium quidem non fuisse, sed primariam bibliothecae curam ipsi a Ptolemaeo demandatam, ita ut Zenodotus et Demetrius eodem tempore bibliothecis fuerint praefecti, alter custos sive bibliothecarius, alter curator, sicut etiam hodie apud nos utrumque munus est separatum. Utut res se habet, neque silentium classicorum scriptorum de Demetrii Phalerei bibliothecae praefectura, neque Suidae de Zenodoto testimonium, neque odium regis, in quod inciderit Demetrius, nos cogit, ut fidem derogemus antiquae ecclesiae scriptoribus.

Quae quum ita sint, non est quod dubitem, quin Demetrius Phalereus non modo Ptolemaeo Philadelpho regnante bibliothecae Alexandrinae praefuerit, sed etiam sub Ptolemaeo Lagi eandem jam curaverit bibliothecam. Satis enim constat, constitutam esse bibliothecam jam a Ptolemaeo patre, cui, ut compararet et legeret libros de regno et principatu scriptos, Demetrium suasisse apud Plutarchum legimus. Itaque Ptolemæum primum, cujus munificentia in litterarumque studia amor singularis Alexandriae, nova et amplissima urbe, in ipsis utriusque orbis confiniis sita, civiumque et exterorum frequentia, commerciis, opibus, luxu regali mirabiliter florente, perfugium et receptaculum tutum et honorificum paraverat, non solum condidisse museum, primum ac fortasse unicum per terrarum orbem doctissimorum hominum contubernium atque convictum, regiis sumtibus liberaliter sustentatum, sed etiam alteram[1]) certe bibliothecam, librorum copiis instructissimam, in Bruchio, Alexandriae urbis parte pulcherrima regumque sede, constitutam sine ulla dubitatione confirmaverim. Neque id conjicere dubitaverim, hanc alteram bibliothecam, a Ptolemaeo primo Demetrio Phalereo inprimis auctore et suasore constitutam, ultimis quidem regni annis, Ptolemaeo filio in regni societatem jam adscito, ita auctam esse et amplificatam, ut Demetrio bibliothecarii munere fungi maximo esset honori. Neque igitur mirum videri potest, a scriptoribus modo patrem modo filium no-

orationem, *ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ πρώτου*, quae nemo graece doctus eloqui potuit de Ptolemaeo Sotere. Sed desiderantes quaedam in eam sententiam, quam Plutarchus adv. Epicur. p. 1095 D. sic conformavit, *Πτολεμαῖος ὁ πρῶτος συναγαγὼν τὸ Μουσεῖον*. Utut est, Philadelphum non dubitabimus agnoscere.

[1]) Duplicem bibliothecam Alexandriæ a Ptolemæis conditam esse constat, alteram in Bruchio, alteram, quæ serius accessisse videtur, in Serapeo sitam.

minari bibliothecae auctorem conditoremque, quum praesertim, filio regni socio adjuncto, uterque una regnaret biennio ante obitum Ptolemaei primi; nisi alterum bibliothecam in Bruchio, alterum bibliothecam in Serapeo constitutam condidisse conjectare velimus. Christiani vero scriptores, qui id maxime agebant, ut memoriae proderent eum regem, quem libros sacros graece interpretandos curavisse sciebant, neglecto Ptolemaeo Lagide, quippe qui, priusquam suscepta res perfecta esset, moreretur, omnia consilia quum ad bibliothecam condendam tum ad graecam illam sacrorum librorum versionem spectantia, ei soli ascribere non dubitabant, quem maxime ad florentissimas bibliothecas augendas atque exornandes plurimum contulisse et rem Demetrio auctore a Ptolemaeo primo quidem coeptam perfecisse cognitum habebant. —

Iidem scriptores, Aristaeus, Aristobulus, Josephus et scriptores christiani fere omnes, praecedentem quisque secutus, qui Demetrium Phalereum, Ptolemaeo Philadelpho regnante, bibliothecae Alexandrinae praefectum fuisse tradunt, eo tempore, quo hoc bibliothecarii munere fungeretur, librorum sacrorum interpretationem eundem curavisse affirmant. Neque etiam res, quae narratur, quidquam habet, quod a veri specie abhorreat. Nam quae Hermippum de odio, quo Ptolemaeus Philadelphus Demetrium Phalereum prosecutus sit, prodidisse supra commemoravimus, cum iis, quae narrantur de Demetrio libros sacros graece interpretandos procurante, minime pugnare supra demonstravimus, quum eandem rem Demetrii Phalerei cura inceptam esse statuamus ultimo regni biennio Ptolemaei Lagi, Philadelpho a patre in regni societatem jam adscito, perfectam vero post patris obitum, cum Philadelphus solus regnare coepisset. Itaque idem, quod de Philadelpho memoriae prodideriut scriptores christiani, jam, Ptolemaeo patre regnante inceptum esse conjectare ausim, quare non esse existimo, quod propter odium, in quod Demetrius post Ptolemaei amici mortem aulici calumniatoris indicio, auctoritati fortasse, qua Demetrius apud filium non minus florebat quam apud patrem, invidi, inciderit, illis scriptoribus omnem fidem abrogemus. Ita fide habita Hermippi quoque narrationi, tempus, quo Demetrius a Philadelpho inclemente atque irato in exsilium missus sit, in incerto relinquentis, non cogimur, ut negemus, quae christiani scriptores fere omnes de Demetrio libros sacros graece interpretandos Ptolemaei Philadelphi regis verbis et nomine procurante in perpetuum hujus regis honorem memoriae prodiderunt. —

Jam vero rem ipsam, qualem Aristaeus et, qui eum secuti sunt, retulerint, eo autore, qui in gravissima re cum iis dissentit, non sublato, ad conjecturam meam, quoad fieri poterit, argumentis confirmandam in medium proferamus; quo facto, quid commoverit viros doctos, ut neque Aristaeo neque iis, qui post eum litteris consignaverint, Demetrium Phalereum legis divinae ex hebraica lingua in graecam translationem, per septuaginta interpretes absolutam, procurasse ullam fidem habendam esse censeant.

Ptolemaeum Philadelphum, Ptolemaei Lagi filium, Aegypti regem, incensum dulcedine litterarum, Alexandriae insignem bibliothecam condidisse ii, quos diximus, scriptores tradiderunt; nec graecos eum congessisse libros satis arbitratum a Chaldaeis quoque et Judaeis, Persis, Assyriis, Romanis aliisque gentibus libros petivisse eosque graece conversos in bibliotheca reponi jussisse. Itaque quum intellexisset ex Demetrio Phalereo, quem litterarum laudibus illustrem bibliothecae praefecerat, exstare apud Judaeos volumina prophetarum, in quibus de deo, de mundi opificio, aliaque reconditae sapientiae monumenta continerentur, scripsisse eum Hierosolymam ad Judaeos, ut illa transmitterent. Lectis regiis litteris, libros aureis characteribus descriptos ad regem eos curavisse. Quum vero illi traditi hebraeo idiomate, cujus imperitus esset, conscripti essent, petivisse eum interpretes, qui ex Hebraeo in graecum sermonem libros istos converterent. Missos igitur esse ex Judaea viros septuaginta duo hebraeas et graecas litteras accurate doctos; hos sacram scripturam in Pharo insula graece interpretatos esse Olymp. CXXVII, anno Philadelphi regis decimo sexto; hanc esse interpretationem, quam LXX a numero illorum, qui ei operam dederint, dicamus, esti viri septuaginta duo ei praefuisse verisimile sit; ex singulis enim tribubus sex delectos fuisse, sed, ut ait Augustinus, interpretatio ista ut LXX vocaretur, obtinuisse consuetudinem. Demetrium autem Phalereum, Alexandrinae bibliothecae praefectum, totum negotium interpretationis curasse ejusque impulsu regem Ptolemaeum illud suscepisse. Atque haec testatur Aristaeus, cujus auctoritate et testimonio nisos Eusebius, Josephus et christiani scriptores fere omnes eandem rem se prodidisse fatentur. Euseb. Praep. evang. VIII. 2. *προςήγγελται* (ita Demetrium Phalereum ad Ptolemaeum regem locutum esse dicit Aristaeus) *δέ μοι καὶ τὰ τῶν Ἰουδαίων νόμιμα, μεταγραφῆς ἄξια καὶ τῆς παρά σοι βιβλιοθήκης εἶναι· τί τὸ κωλύον οὖν, εἶπεν* (rex), *ἐστί σε τοῦτο ποιῆσαι; πάντα γὰρ ἀποτέτακταί σοι τὰ πρὸς τὴν χρείαν. Ὁ δὲ Δημήτριος εἶπεν· ἑρμηνείας προςδεῖται· χαρακτῆρσι γὰρ ἰδίοις κατὰ τὴν Ἰουδαίαν χρῶνται, καθάπερ Αἰγύπτιοι τῇ τῶν γραμμάτων θέσει, καθὸ καὶ φωνὴν ἰδίαν ἔχουσιν· ὑπολαμβάνονται δὲ Συριακῇ χρῆσθαι· τὸ δ'οὐκ ἔστιν, ἀλλ'ἕτερος τρόπος. Μεταλαβὼν δὲ ἕκαστα ὁ βασιλεὺς, εἶπε γραφῆναι πρὸς τὸν ἀρχιερέα τῶν Ἰουδαίων, ὅπως τὰ προειρημένα τελείωσιν λάβῃ. Ὡς δὲ κατεπράχθη ταῦτα, τὸν Δημήτριον ἐκέλευσεν ἐκδοῦναι περὶ τῆς τῶν Ἰουδαϊκῶν βιβλίων ἀναγραφῆς κτλ.* — Idem litteris custodivit epistolam Demetrii Phalerei ad Ptolemaeum, Aegypti regem, de eadem re scriptam, de qua infra accuratius agetur. Hec loco sufficiat, nonnisi ea verba, quae spectant rem, de qua agitur, transcribere ex Euseb. Praep. evang. VIII. 3. *Προςτάξαντός σου, βασιλεῦ, περὶ τῶν ἀπολειφθέντων εἰς τὴν συμπλήρωσιν τῆς βιβλιοθήκης βιβλίων, ὅπως ἐπισυναχθῇ καὶ*

τὰ διαπεπτωκότα τύχῃ τῆς προσηκούσης ἐπισκευῆς, πεποιημένος οὐ παρέργως τὴν ἐν τούτοις ἐπιμέλειαν, προσαναφέρω σοι. Τὰ δὲ τοῦ νόμου τῶν Ἰουδαίων βίβλια σὺν ἑτέροις ὀλίγοις τισὶν ἀπολείπει. Τυγχάνει γὰρ Ἑβραϊκοῖς γράμμασι καὶ φωνῇ λεγόμενα· ἀμελέστερον δὲ καὶ οὐχ ὡς ὑπάρχει σεσήμανται, καθὼς ὑπὸ τῶν εἰδότων προσαναφέρεται, προνοίας γὰρ βασιλικῆς οὐ τετύχηκεν. Δέον δὲ ἔτι καὶ ταῦθ' ὑπάρχειν παρά σοι διηκριβωμένα, διὰ τὸ καὶ φιλοσοφωτέραν εἶναι καὶ ἀκέραιον τὴν νομοθεσίαν ταύτην, ὡς ἂν οὖσαν θείαν. Διὸ πόρρω γεγόνασιν οἵ τε συγγραφεῖς καὶ ποιηταὶ καὶ τὸ τῶν ἱστορικῶν πλῆθος τῆς ἐπιμνήσεως τῶν προειρημένων βιβλίων καὶ τῶν κατ' αὐτὰ πεπολιτευμένων ἀνδρῶν διὰ τὸ ἁγνήν τινα καὶ σεμνὴν εἶναι τὴν ἐν αὐτοῖς θεωρίαν, ὥς φησιν Ἑκαταῖος ὁ Ἀβδηρίτης. Ἐὰν οὖν φαίνηται, βασιλεῦ, γραφήσεται πρὸς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις ἀρχιερέα, ἀποστεῖλαι τοὺς μάλιστα καλῶς βεβιωκότας καὶ πρεσβυτέρους ἄνδρας καὶ ἐμπείρους τῶν κατὰ τὸν νόμον ἑαυτῶν, ἀφ' ἑκάστης φυλῆς ἕξ, ὅπως τὸ σύμφωνον ἐκ τῶν πλειόνων ἐξετάσαντες καὶ λαβόντες τὸ κατὰ τὴν ἑρμηνείαν ἀκριβὲς ἀξίως καὶ τῶν πραγμάτων καὶ τῆς σῆς προαιρέσεως θῶμεν εὐσήμως. — Τῆς δὲ ἐκδόσεως ταύτης γενομένης, ἐκέλευσεν ὁ βασιλεὺς γραφῆναι πρὸς τὸν Ἐλεάζαρον κτλ. **Sed rex ipse scripsit epistolam ad Eleazarum, summum Hierosolymorum pontificem, ex qua haec exscribimus. Euseb. Praep. evang. VIII. 4.** βουλομένων δὲ ἡμῶν καί σοι χαρίζεσθαι καὶ πᾶσι τοῖς κατὰ τὴν οἰκουμένην Ἰουδαίοις καὶ τοῖς μετέπειτα, προῃρήμεθα τὸν νόμον ὑμῶν μεθερμηνευθῆναι γράμμασιν Ἑλληνικοῖς ἐκ τῶν παρ' ὑμῖν Ἑβραϊκῶν λεγομένων γραμμάτων, ἵν' ὑπάρχῃ καὶ ταῦτα παρ' ἡμῖν ἐν βιβλιοθήκῃ σὺν τοῖς ἄλλοις βασιλικοῖς βιβλίοις. Καλῶς οὖν ποιήσεις καὶ τῆς ἡμετέρας σπουδῆς ἀξίως, ἐπιλέξας ἄνδρας καλῶς βεβιωκότας, πρεσβυτέρους, ἐμπειρίαν ἔχοντας τοῦ νόμου καὶ δυνατοὺς ἑρμηνεῦσαι, ἀφ' ἑκάστης φυλῆς ἕξ, ὅπως ἐκ τῶν πλειόνων τὸ σύμφωνον εὑρεθῇ κτλ. **Ad haec respondit Eleazarus apud Euseb. VIII. 5.** καὶ ὅπως γένηται συμφερόντως καὶ μετ' ἀσφαλείας ἡ τοῦ ἁγίου νόμου μεταγραφή, παρόντων πάντων, ἐπελεξάμην ἄνδρας καλοὺς καὶ ἀγαθούς, πρεσβυτέρους, ἀφ' ἑκάστης φυλῆς ἕξ, οὓς καὶ ἀπεστάλκαμεν ἔχοντας τὸν νόμον. **Alio vero loco (XIII. 12.) Eusebius tradit, Aristobulum Judaeum ad regem Ptolemaeum Philometorem scripsisse, Mosis libros[1]) ante Demetrium Phalereum graece translatos fuisse; totam vero scripturam jussu Philadelphi**

[1]) Tum vero nonnisi pentateuchus translatus est, cujus versionem posterioribus demum temporibus paulatim secutæ sunt reliquorum librorum divinorum versiones, utpote quas non ab uno sed a diversis auctoribus profectas esse constat ex ipsarum versionum indolis ac styli diversitate. cf. Sturz. de dial. Mac. et Alex. p. 26. Pentateuchi tamen versio ab uno auctore videtur profecta

regis et opera quidem Demetrii Phalerei conversam. *Διηρμήνευται γὰρ πρὸ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως δι' ἑτέρων πρὸ τοῦ Ἀλεξάνδρου καὶ Περσῶν ἐπικρατήσεως κτλ. Ἡ δ' ὅλη ἑρμηνεία τῶν διὰ τοῦ νόμου πάντων ἐπὶ τοῦ προςαγορευθέντος Φιλαδέλφου βασιλέως, Δημητρίου τοῦ Φαληρέως πραγματευσαμένου τὰ περὶ τούτων.*[1]) Eundem Aristobulum ejusdem rei testem laudat Clemens Alexandrinus in Stromm. I. Alii vero antiqui autores, qui Demetrii Phalerei vitam conscripserunt, ut Diogenes Laërtius, vel alioquin mentionem ejus scriptis suis inseruerunt, ut Plutarchus, Aelianus, Athenaeus, Diodorus Siculus, Cicero, alii, ne verbo quidem hoc attingunt. Utcunque res se habet, quam Aristaeo auctore christiani scriptores copiose et abundanter perscripserunt, singulis Aristaei de LXX interpretatione narrationis partibus, utpote quae ad nostram rem non pertineant, in incerto relictis, id certe constat, sacrorum librorum versionem Ptolemaeo Philadelpho rege et singulari quidem Demetrii Phalerei industria perfectam atque absolutam esse. —

Neque vero desunt ea quoque scriptorum testimonia, quae idem, quod Philadelphum perfecisse omnes inter se consentiunt, a primo Ptolemaeo susceptum atque institutum esse conjectantem me adjuvare possint. Irenaeus l. l. expressis verbis ait, hanc versionem, cui nomen inditum est LXX, non a Ptolemaeo Philadelpho, sed ejus patre Ptolemaeo Lagide institutam esse, et Clemens Alexandrinus in stromm. lib. I. refert, conversos fuisse libros sacros ex Hebraeo tempore Ptolemaei Philadelphi, tanquam in re dubia haesitaret, utri potissimum illud tribuendum esset.[2]) Huc accedit, quod

[1]) Fere eadem narravit Josephus in antiq. judaic. lib. XII. c. 2., quem eodem, quo Eusebius, fonte usum esse facile intelligitur. *Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς, ὃς ἦν ἐπὶ τῶν βιβλιοθηκῶν τοῦ βασιλέως, σπουδάζων εἰ δυνατὸν εἴη πάντα τὰ κατὰ τὴν οἰκουμένην συναγαγεῖν βιβλία κτλ. μεμηνῦσθαι δὲ ἔλεγεν αὐτῷ πολλὰ εἶναι καὶ παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις, τῶν παρ' αὐτοῖς νομίμων συγγράμματα, σπουδῆς ἄξια καὶ τῆς βασιλέως βιβλιοθήκης, ἃ τοῖς ἐκείνων χαρακτῆρσι καὶ τῇ διαλέκτῳ γεγραμμένα, πόνον αὐτοῖς οὐκ ὀλίγον παρέξειν εἰς τὴν ἑλληνικὴν μεταβαλλόμενα γλῶσσαν. — Οὐδὲν οὖν ἔλεγε κωλύειν καὶ ταῦτα μεταβαλόντα, δύνασθαι γὰρ τῆς εἰς ταῦτα χορηγίας εὐποροῦντα, ἔχειν ἐν τῇ βιβλιοθήκῃ καὶ τὰ παρ' ἐκείνοις. Δόξας οὖν ὁ βασιλεὺς ἄριστα τὸν Δημήτριον φιλοτιμούμενον περὶ τὸ πλῆθος αὐτῷ τῶν βιβλίων ὑποτίθεσθαι, γράφει τῷ τῶν Ἰουδαίων ἀρχιερεῖ ταῦτα γίνεσθαι. — Ἐπειδὴ δὲ ταῦτα ἐγένετο κατὰ τὴν τοῦ βασιλέως βούλησιν μεγαλοπρεπῶς, ἐκέλευσε τὸν Δημήτριον ἐκδοῦναι καὶ τὰ περὶ τῆς τῶν Ἰουδαϊκῶν βιβλίων ἀναγραφῆς δόγμα· οὐδὲν γὰρ εἰκῆ τοῖς βασιλεῦσιν ᾠκονόμητο, πάντα δὲ μετὰ πολλῆς ἐπιμελείας ἐπράττετο.* — Idem Josephus mentionem facit epistolae Demetrii ad regem de hac re scriptae, a verbis quidem Eusebii passim recedentis, in re ipsa autem ita consentientis, ut dubium esse non possit, quin uterque eodem fonte Aristaeo sint usi. In Demetrii fragmentis infra colligendis utriusque scriptoris verba, quatenus et discrepant et consentiunt, inter se comparare licebit.

[2]) Quod Justinus Martyr in apolog. II. scribit, Ptolemaeum per epistolam petiisse a Judaeorum rege Herode, ut libros prophetarum transmitteret, Herodem codices hebraica lingua conceptos transmisisse, gravissimum illum scriptorem errasse manifestum est.

Eusebius (XIII, 12) ipse, qui integram bibliorum versionem Ptolemaei Philadelphi tempore praecipua Demetrii Phalerei totum negotium moderantis opera exortam esse narrat, singulas partes et Mosis quidem libros jam prius graece conversas fuisse Aristobulo auctore prodidit; quod eundem Aristobulum ejusdem rei testem laudavit Clemens Alexandrinus l. l. Has varias et discrepantes inter se scriptorum sententias ita tollendas et solvendas esse existimo, ut jam Ptolemaeum primum, quem Demetrio Phalereo auctore et suasore bibliothecam instituisse eamque multis voluminibus coëmtis auxisse probavimus, ab eodem impulsum singulas sacrorum bibliorum partes graece interpretandas curavisse; integram autem omnium bibliorum versionem, per septuaginta duos interpretes perfectam et absolutam, Ptolemaeum Philadelphum idque ipsum ejusdem Demetrii Phalerei opera instituisse sumamus.

Iidem autem viri docti, qui Demetrium Phalereum Ptolemaeo Philadelpho rege bibliothecae Alexandrinae praefuisse negant, neque Aristaeo, neque qui post eum scripserunt de Demetrio Phalereo sacrorum librorum interpretatione procurante, fidem ullam habendam esse censent. Humfredus Hodius, quocum consentit Sturz. de dialecto Macedonica et Alexandrina p. 3., Wowerus in syntagmate de graeca et latina bibliorum interpretatione, alii,[1]) qui eorum sententias sunt secuti, ex historia temporis patere dicunt, Judaeos interpretationis graecae librorum sacrorum procurandae sua sponte consilium cepisse, quandoquidem Judaei Alexandriae viventes, lingua sua neglecta, linguam graecam didicissent, neque adeo legere omnes et intelligere potuissent libros suos sacros hebraice scriptos. Jam Valckenaerius in eorum sententiam ita respondit: „Qui tamdiu sacra sibi patria fecerunt, absque vernaculae sacrorum librorum versionis adjumento, qui hodie illa

[1]) Profecto multi sunt, qui omnino Aristæi librum de interpretatione veteris testamenti ab eo, ad quem referatur, conscriptum esse negantes historiam LXX interpretum Aristæi nomine inscriptam a Judæo quodam ad auctoritatem versioni graecae conciliandam confictam esse probent, ut van Dale dissert. super Aristea de LXX interpretibus. Amst. 1705, 4.; Humfredus Hody contra historiam Aristeæ de LXX interpretibus dissertatio 1684, 8; de bibliorum textibus originalibus, versionibus græcis, et latina vulgata libri IV. I. Contra historiam LXX interpretum Aristeæ nomine inscriptam dissertatio, qua probatur a Judæo quodam fuisse confictam, et Is. Vossii aliorumque doctorum virorum defensiones ejusdem ad examen revocantur. II. De versionis LXX interpretum auctoribus veris eamque conficiendi tempore, modo et ratione. III. Historia scholastica textuum originalium versionisque græcæ LXX dictæ et latinæ vulgatæ. IV. De ceteris græcis versionibus. — Neque vero desunt viri docti, qui ab iis dissidentes, Aristæi auctoritate et fide sustentata, Aristæi librum genuinum esse argumentis confirmaverint, ut præter eos, quos supra diximus, Montfaucon de Aristeæ exemplaribus, quæ nunc exstant, genuinis; Humphrey Prideaux: the account of Aristeas of the Septuagint confuted; Rosenmüller: über die Aechtheit der Schrift des Aristeas; Whiston: a large appendix, to prove that Aristeas's history of the version of the Pentateuch by the 72 interpreters, still extant, is genuine.

colunt ubique gentium, mirarer equidem, si isto inprimis articulo temporis, quo libri quivis undique terrarum in regiam conquirebantur bibliothecam, nullius rogatu vel jussu sed suo motu rem fuerint a moribus suis abhorrentem aggressi. Mihi monitu Demetrii primus videtur Ptolemaeus concitatus, ut Judaeorum quoque leges cum tot aliis bibliothecae suae pararet, benignissimi regis et munificentissimi jussui videntur, suorum etiam graece tantum intelligentium popularium habita forsan quadam ratione, perlibenter obsecundasse Judaei rem, ut perficeretur, omni modo sive sub utroque, certe sub primo Ptolemaeo curavisse Demetrius. Quid enim probabilius, quam undique libros in suam conquirenti bibliothecam regi Lagidae Demetrium fuisse suasorem, ut leges etiam Judaeorum sibi graece curaret converti, praesertim quum in legibus civitati scribendis occupatus esset quam maxime."[1]) Haec sufficiant, neque enim libet de hac re plura scribere, quum versionem illam, quam vocant LXX, a Ptolemaeo Philadelpho Demetrio auctore perfectam atque absolutam esse satis mihi sit exploratum.

Restat denique, ut nonnulla addantur de Demetrii vita in Aegypto vel apud reges, quorum gratia eum plurimum valuisse vidimus, vel in exsilio transacta, postquam in Ptolemaei Philadelphi regis offensionem incurrit. Non perpetua Demetrii Phalerei mansit fortuna in Aegypto. Primum enim oculorum lumina aliquamdiu eum amisisse legimus apud. Diog. Laërtium V. 5. 76.[2]) Causam morbi ignorantibus verisimile videtur, eum, quum aërem calidum sustinere non potuisset, oculis captum esse; sed recuperasse tamen oculorum aciem Demetrium Phalereum, a Serapide[3]) deo, ut dicunt, sanatum, Diogenes

[1]) Longum est illa omnia proferre, quæ Aristæi narrationi opponuntur, quum praesertim ea refellere et redarguere nullius sit negotii. Wowerus l. l., omnino infirmis argumentis nisus, ad Aristæo fidem abrogandam ita dicit: „Ridicule vero regem præsentem per epistolam alloquitur Demetrius. Et si hoc more Ptolemæo usitato ipsum fecisse concedamus, qua quaeso ratione suadet, scribendum ad Judæorum pontificem, ut mitteret seniores *ἐμπείρους τῶν κατὰ τὸν νόμον τὸν ἑαυτῶν ἀφ' ἑκάστης φυλῆς ἕξ κτλ.* Hæc scribit Demetrius imperitus omnino rituum Judaicorum, senes ex singulis tribubus esse petendos, ut in tanta interpretum multitudine illud praeferrent, in quo consensissent" etc. Ineptum vero non esse, quod Demetrius regem præsentem per epistolam adeat, colloquio cum Ptolemæo rege de vertendis sacris Judaeorum libris habito, satis apparet ex iis locis, quos affert H. Hodius de bibl. textu origin. p. 65. — Hanc rem multo copiosius exponere poteram, sed ea, quae saepius jam tractata sunt a viris eruditissimis, retractare nolebam.

[2]) Diog. Laërt. V. 5, 76. *λέγεται δὲ ἀποβαλόντα αὐτὸν τὰς ὄψεις ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, κομίσασθαι αὖθις παρὰ τοῦ Σεράπιδος· ὅθεν καὶ τοὺς παιᾶνας ποιῆσαι τοὺς μέχρι νῦν ᾀδομένους.* cf. Casaubonus ad h. l.

[3]) Colebatur quidem Serapis apud Aegyptios Memphi inde ab antiquissimis temporibus diuque ante Ptolemaeos, is autem Serapis, de quo hic agitur, a Ptolemaeo Lagi Sinope Alexandriam advectus est ibique coli coeptus. Hunc deum, ut Tacitus hist. IV. 84, multi Aesculapium, quod medeatur aegris corporibus, quidam Osirin, antiquissimum Aegyptiorum numen, plurimi Ditem patrem conjectant. cf. Amm. Marcellin. XXII. 16.

eodem loco retulit. Ad hunc Serapidem deum, cui Ptolemaeus Lagi magnificentissimum templum exstruxit, qui, ut Iris omnibus animi morbis, ita corporis aegritudinibus mederi posse putabatur, se convertit oculorumque morbo liberatus esse dicitur. Demetrius autem Phalereus, a Serapide deo sanatus, in ipsum paeanas, postea etiam decantari solitos, fecisse fertur.

Quo tempore Demetrius hoc oculorum morbo laboraverit, utrum Ptolemaeo Lagi regnante an Ptolemaeo Philadelpho, Diogenes Laërtius non commemoravit. Alteram autem calamitatem, in quam Demetrium Phalereum incidisse idem Diogenes narrat, ut gratia exciderit apud regem, ut in custodiam ductus ibique mortuus sit, Ptolemaeo regnante eum accepisse constat. Diogenes Laërtius[1]) Hermippo auctore prodit, Demetrium consuluisse regi (Ptolemaeo Lagi), ut filiis, quos ex Eurydice suscepisset, regnum traderet; quum vero ille non obtemperasset, sed ejus, quem ex Berenice genuisset, filii (Philadelphi) capiti diadema imposuisset, ab hoc ipso post patris mortem Demetrium fuisse asservatum in provincia, quoad aliquid de illo statuisset; hic illum maestius vixisse, et veluti dormitantem ab aspide manum morsum ex vita migrasse, sepultumque esse in Busirite regione[2]) prope Diospolin. Heraclide auctore Diogenes ascribit, Ptolemaeum Philadelpho filio concedere voluisse regnum, Demetrium autem id prohibere studuisse

[1]) V. 5. 78. *συμβουλεύειν τῷ Πτολεμαίῳ πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ τὴν βασιλείαν τοῖς ἐξ Εὐρυδίκης περιθεῖναι παισί· τοῦ δὲ οὐ πεισθέντος, ἀλλὰ παραδόντος τὸ διάδημα τῷ ἐκ Βερενίκης, μετὰ τὴν ἐκείνου τελευτὴν ἀξιωθῆναι πρὸς τούτου παραφυλάττεσθαι ἐν τῇ χώρᾳ, μέχρι τι δόξει περὶ αὐτοῦ. Ἐνταῦθα ἀθυμότερον διῆγε· καί πως ὑπνώττων ὑπ' ἀσπίδος τὴν χεῖρα δηχθεὶς τὸν βίον μετέθηκε· καὶ θάπτεται ἐν τῷ Βουσιρίτῃ νομῷ πλησίον Διοσπόλεως· καὶ ἐπεγράψαμεν ἡμεῖς·*

Ἀνεῖλεν ἀσπὶς τὸν σοφὸν Δημήτριον,
Ἰὸν ἔχουσα πολὺν,
Ἄσμηκτον, οὐ στίλβουσα φῶς ἀπ' ὀμμάτων,
Ἀλλ' ἀΐδην μέλανα.

Ἡρακλείδης δ' ἐν τῇ ἐπιτομῇ τῶν Σωτίωνος διαδοχῶν τῷ Φιλαδέλφῳ τὴν βασιλείαν θέλειν ἐκχωρῆσαι τὸν Πτολεμαῖον· τὸν δ' ἀποτρέπειν φάσκοντα, „ἂν ἄλλῳ δῷς, σὺ οὐχ ἕξεις“.

[2]) His consentanea habet Suidas: *ἐτάφη ἐν τῷ Βουσιρίτῃ νομῷ, πλησίον Διοσπόλεως, τῆς ἐν τοῖς ἕλεσι.* Ex his verbis *τῆς ἐν τοῖς ἕλεσι* patet, Diospolim illam, in qua sepultus sit Demetrius, non esse magnam Diospolim, id est, Thebas Aegyptias, quae a mari procul aberat; sed alteram Diospolim prope Mendetem et Leontopolim et Busirim, quam praeter Nili alveos, Busiritem et Athribitem varii lacus cingebant, ut docet Strabo XVII, 802: *πλησίον δὲ Μένδητος καὶ Διὸς πόλις καὶ περὶ αὐτὴν λίμναι καὶ Λεοντόπολις· εἶτ' ἀπωτέρω ἡ Βούσιρις πόλις ἐν τῷ Βουσιρίτῃ νομῷ.* cf. Plin. V. 10. et Stephanus s. v. *Βούσιρις.* Ab urbe Busirite etiam huic praefecturae nomen erat. Aegyptus in praefecturas divisa fuit, quas Aegyptii *νομούς* appellabant. cf. Epiphanius lib. I. in Haeresi Basilidis: *νομὸν γὰρ οἱ Αἰγύπτιοί φασι τῆς ἑκάστης πόλεως περιοικίδα ἤτοι περίχωραν.*

dicentem, si alteri dedisset, ipsum non habiturum esse. Ad difficultates autem, in quas supra incurrimus, plane infringendas aegre caremus ejusdem autoris testimonio de tempore, quo Demetrius, quum gratia regis excidisset, procul a regia et Alexandria urbe in exsilium missus est. Id quidem constat, eum post mortem Ptolemaei Lagi a Philadelpho filio in exsilium actum in custodia fato functum esse, neque vero verbis *μετὰ τὴν ἐκείνου τελευτήν* adducimur, ut eum statim post illius mortem, sed potius, christianorum scriptorum fidem secuti, compluribus annis interjectis, in hanc calamitatem incidisse credamus. Demetrium a Ptolemaeo in gratiam receptum ex exsilio in regiam rediisse nusquam legimus. Vita aliquamdiu in exsilio maeste transacta, violenta morte eum periisse tradit Diogenes Laërtius l. l., neque a veri specie abhorret, quum hujus vitae eum taederet, aspide ad corpus admota, voluntariam mortem ei obtigisse, id quod Cicero innuere videtur in oratione pro Rabirio c. 9. „Video Demetrium et ex republica Atheniensium, quam optime digesserat, et ex doctrina nobilem et clarum, qui Phalereus vocitatus est, in eodem isto Aegypti regno aspide ad corpus admota vita esse privatum.“

Haec fere sunt, quæ, veterum scriptorum locis inter se collatis, de Demetrii Phalerei vita et rebus gestis dici possunt.

Cap. X.

De Demetrio oratore agitur.

Demetrius Phalereus, quem praeter eximias ingenii dotes summum discendi ardorem attulisse scimus, a Theophrasto, eruditissimo sui temporis philosopho, institutus cum philosophiae tum eloquentiae studiis, ut varia multiplicique rerum doctrina ingenium excoleret, atque eruditissimus sui temporis oratorum et esset et haberetur, eloquentiae et philosophiae studiis cum administrandae civitatis arte conjunctis, tanquam unicum inter Graecos exemplum praeter ceteros excelluit. „Nam neminem video, inquit Cicero,[1]) Graecorum adhuc contigisse, ut idem utroque in genere elaboraret sequereturque et illud forense dicendi et hoc quietum disputandi genus: nisi forte Demetrius Phalereus in hoc numero haberi potest, disputator subtilis, orator parum vehemens, dulcis tamen, ut Theophrasti discipulum possis agnoscere.“[2]) Summis igitur laudibus a veteribus celebratur Demetrii Phalerei eloquentia, quae qualis fuerit, quum ex ipsius Demetrii scriptis, utpote quae ad unum omnia perierint, cognoscere non liceat, in solis veterum testimoniis, inprimis Ciceronis, locupletissimi hac in re auctoris, cui ex illius orationibus redolere ipsae Athenae videntur (Brut. c. 82), acquiescendum erit. Duobus potissimum locis Cicero

[1]) de off. l. 1.

[2]) cf. comment. meae part. I. p. 12—17., ubi agitur de Demetrii institutione et doctrina.

Demetrium oratorem describit. Altero loco,[1]) summis Atheniensium oratoribus descriptis, eloquentiae Demetrii imaginem ita effingit: „Posteaquam, exstinctis his, omnis eorum memoria sensim obscurata est et evanuit, alia quaedam dicendi molliora ac remissiora genera viguerunt. Inde Demochares, quem ajunt sororis filium fuisse Demostheni: tum Phalereus ille Demetrius, omnium istorum, mea sententia, politissimus, aliique eorum similes exstiterunt.“ Altero[2]) loco dicit: „Phalereus successit iis senibus adolescens, eruditissimus ille quidem horum omnium, sed non tam armis institutus quam palaestra. Itaque delectabat magis Athenienses quam inflammabat. Processerat enim in solem et pulverem, non ut a militari tabernaculo, sed ut e Theophrasti, doctissimi hominis, umbraculis. Hic primus inflexit orationem et eam mollem teneramque reddidit, et suavis, sicut fuit, videri maluit quam gravis; sed suavitate ea, qua perfunderet animos, non qua perstringeret: tantum ut memoriam concinnitatis suae non, quemadmodum de Pericle scripsit Eupolis, cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum, a quibus esset auditus.“[3]) Quod judicium de Demetrio a Cicerone factum comprobatur Quintiliano Inst. orat. X, 1. 80. „Quin etiam Phalerea illum Demetrium, quamquam is primus inclinasse eloquentiam dicitur, multum ingenii habuisse et facundiae fateor, vel ob hoc memoria dignum, quod ultimus est fere ex Atticis, qui dici possit orator: quem tamen in illo medio genere dicendi praefert omnibus Cicero.“[4]). Inst. orat. X. I. 33. „Dum in his, de quibus erit quaestio, meminerimus non athletarum toros, sed militum lacertos esse, nec versicolorem illam[5]), qua Demetrius Phalereus dicebatur uti, vestem bene ad forensem pulverem facere.“ Jam ex his Ciceronis, subtilissimi et acerrimi in hac re judicis, et Quintiliani testimoniis, qui Demetrium, cujus aetas in ea tempora incidit, quae non solum summos oratores jam viderant, sed etiam, libertate sublata, iniqua

[1]) Cic. de orat. II. 23.

[2]) Cic. Brut. cap. 9.

[3]) Aliter de Demetrii stilo judicat Diogenes Laërt. V. 5. 82. χαρακτὴρ δὲ φιλόσοφος, εὐτονίᾳ ῥητορικῇ καὶ δυνάμει κεκραμένος.

[4]) cf. Cic. in Orat. c. 27. „Hoc in genere, nervorum vel minimum, suavitatis autem est vel plurimum. Est enim plenius, quam hoc enucleatum: quam autem illud ornatum copiosumque, summissius. Huic omnia dicendi ornamenta conveniunt, plurimumque est in hac orationis forma suavitatis. In qua multi floruerunt apud Graecos: sed Phalereus Demetrius meo judicio praestitit ceteris; cujus oratio cum sedate placideque loquitur, tum illustrant eam, quasi stellae quaedam, tralata verba atque inmutata.“

[5]) Cic. in Bruto c. 9. „Haec enim aetas (Hyperidis, Aeschinis, Lycurgi, Dinarchi, Demadis) effudit hanc copiam; et, ut opinio mea fert, succus ille et sanguis incorruptus usque ad hanc aetatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fucatus nitor. Phalereus enim successit iis senibus adolescens etc.“

erant eloquentiae, non indignum judicant, quem summis Graecorum oratoribus comparent, quanta in illo fuerit eloquentia, satis intelligi potest. Unde autem factum sit, ut Demetrius tam amplum inter Atticos oratores locum obtinuerit, jam in priore commentationis meae parte [cap. II.], ubi de Demetrii institutione ac doctrina agitur, accuratius explicatum est. Demetrium inter veros et antiquos Atticos[1]) numerandum esse, indicat Cicero in Bruto c. 82. „In quo etiam illud quaero, Phalereus ille Demetrius Atticene dixerit. Mihi quidem ex illius orationibus redolere ipsae Athenae videntur. At est floridior, ut ita dicam, quam Hyperides, quam Lysias; natura quaedam aut voluntas ita dicendi fuit." Eundem medium vel temperatum dicendi genus[2]) coluisse, Cicero dicit in Orat. c. 26. 27. (§. 91—96.): „Uberius est aliud aliquantoque robustius, quam hoc humile, de quo dictum est; summissius autem, quam illud, de quo jam dicetur, amplissimum. Hoc in genere nervorum vel minimum, suavitatis autem est vel plurimum. Est enim plenius, quam hoc enucleatum: quam autem illud ornatum copiosumque summissius. Huic omnia dicendi ornamenta conveniunt, plurimumque est in hac orationis forma suavitatis. In qua multi floruerunt apud Graecos: sed Phalereus Demetrius meo judicio praestitit ceteris; cujus oratio cum sedate placideque loquitur, tum illustrant eam, quasi stellae quaedam, tralata verba atque immutata. Tralata ea dico, ut saepe jam, quae per similitudinem ab alia re aut suavitatis aut inopiae causa transferuntur. Mutata, in quibus pro verbo proprio subjicitur aliud, quod idem significat, sumtum ex re aliqua consequenti. — Hanc hypallagen rhetores, quia quasi summutantur verba pro verbis: metonymiam grammatici vocant, quod nomina transferuntur. Aristoteles autem translationi haec ipsa subjungit et abusionem, quam *κατάχρησιν* vocant: ut, cum minutum dicimus animum pro parvo et abutimur verbis propinquis, si opus est, vel quod delectat, vel quod decet. Jam cum fluxerunt plures continuae translationes, alia plane fit oratio. Itaque genus hoc Graeci appellant *ἀλληγορίαν*, nomine recte, genere melius ille, qui ista omnia translationes vocat. Haec frequentat Phalereus maxime suntque dulcissima: et quamquam translatio est apud eum multa, tamen immutationes nusquam crebriores. In idem genus orationis (loquor enim de illa modica ac temperata) verborum

[1]) Eloquentiam in tria illa genera, Atticum, Rhodium, Asianum rhetores partiuntur. Cic. in Bruto c. 13. „Nam ut semel e Piræo eloquentia evecta est, omnes peragravit insulas, atque ita peregrinata tota Asia est, ut se externis oblineret moribus omnemque illam salubritatem Atticae dictionis et quasi sanctitatem perderet, ac loqui pæne dedisceret. Hinc Asiatici oratores non contemnendi quidem nec celeritate nec copia, sed parum pressi et nimis redundantes. Rhodii saniores et Atticorum similiores." cf. Quintil. XII, 10. „Asianorum quidem oratorum princeps, idemque primus Atticae eloquentiae corruptor fuit Hegesias Magnes. cf. Cic. Tusc. I. 34.

[2]) Tria distinguuntur dicendi genera, grande vel grave, tenue vel subtile et medium vel temperatum.

cadunt lumina omnia, multa etiam sententiarum: latae eruditaeqae disputationes ab eodem explicantur, et loci communes sine contentione dicuntur. Est enim quoddam etiam insigne et florens orationis, pictum et expolitum genus, in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores. Hoc totum e sophistarum fontibus defluxit in forum, sed spretum a subtilibus, repulsum a gravibus, in ea, de qua loquor, mediocritate consedit.“ His et aliis Ciceronis locis supra prolatis, ex quibus Demetrium, cujus dicendi genus mollius ac remissius esset, delectasse magis Athenienses quam inflammasse, orationem mollem teneramque reddidisse, oratorem parum vehementem, dulcem tamen, floridiorem Hyperide et Lysia fuisse vidimus, Demetrii eloquentia ejusque dicendi genus satis describitur. Sed de eloquentia Demetrii accuratius disserere non opus esse existimo, neque exponere lubet, quo loco inter priorem et posteriorem eloquentiam Atticam Demetrius dignandus sit, qualis ipse appareat cum ceteris comparatus, quum de Demetrio oratore, de genere ejus dicendi, cum Atticis et prioris et posterioris temporis oratoribus comparato, in multis libris, qui eloquentiae Graecorum historiam tractant, fusius disputatum sit.[1])

[1]) cf. Westermann Geschichte der Beredtsamkeit in Griechenland und Rom Th. I. p. 160. „Nicht minder geachtet (wie als Schriftsteller philosophischen, politischen und wissenschaftlichen Inhalts) war Demetrius Phalereus als Redner. Er gilt insgemein für denjenigen, mit welchem die attische Beredtsamkeit zu sinken begann, und in der That vermisste man bei ihm den erhabenen Schwung des Demosthenes; der Charakter seiner Rede war sanft, weichlich, einschmeichelnd, sein Ausdruck elegant, anmuthig, blühend; aber dennoch hielt er noch das richtige Mittel zwischen dem Zuviel und Zuwenig — kurz er ist der letzte, welcher den Namen eines attischen Redners verdient.“ Vir ille doctus non plane idem, quod Cicero et Quintilianus, de Demetrio oratore sensisse neque, judiciis quidem eorum adhibitis, scriptorum cogitationem satis assecutus eorumque voluntatem interpretatus esse videtur. Demetrius quidem primus inclinasse eloquentiam a Quintiliano (X. I. 80.), primus inflexisse orationem et eam mollem teneramque reddidisse a Cicerone (in Brut. c. 9.) dicitur, quum is non versatus, ut ait Cicero, in veritatis imitandae genere pro temporum illorum ratione primus a veritate priorum oratorum recederet; non autem ipsum primum inclinatae eloquentiae oratorem vel habendum vel nominandum esse censeo. cf. Cicero de oratore II, 23. „Et ii, qui se ad causas contulerunt, ut Demosthenes, Hyperides, Lycurgus, Aeschines, Dinarchus aliique complures, et si inter se pares non fuerunt, tamen sunt omnes in eodem veritatis imitandae genere versati, quorum quamdiu mansit imitatio, tamdiu genus illud dicendi studiumque vixit; posteaquam exstinctis his omnis eorum memoria sensim obscurata est et evanuit, alia quaedam dicendi et molliora ac remissiora genera viguerunt. Inde Demochares, quem ajunt sororis filium fuisse Demostheni, tum Phalereus iste Demetrius omnium istorum mea sententia politissimus aliique eorum similes exstiterunt.“ Eloquentiam Atticam, postquam in Demosthene ad summum fastigium pervenerit, paulatim inclinari coeptam esse inter omnes constat, neque quisquam dixerit, Demetrium Phalereum Demostheni, ad quem eloquentiae Atticae palma in omni dicendi genere cunctis suffragiis referatur, in dicendi sublimitate atque in vi

Cap. XI.

De Demetrii scriptis.

Demetrium Phalereum scriptorum multitudine insignem fuisse, testis est Diogenes Laërtius in Demetrii vita V. 5. 80. *πλήθει δὲ βιβλίων καὶ ἀριθμῷ στίχων σχεδὸν ἅπαντας παρελήλακε τοὺς κατ' αὐτὸν Περιπατητικοὺς εὐπαίδευτος ὢν καὶ πολύπειρος παρ' ὁντινοῦν.* Suidas s. v. *Δημήτριος. συνέγραψε δὲ συχνὰ βιβλία.* Grammaticorum probatissimum eum nominat Tertullianus in Apologetico c. 18. Neque Ciceronis, subtilissimi et acerrimi de Demetrio oratore judicis, testimoniis caremus, qui Demetrium Phalereum eruditissimum sui temporis virum (de leg. II. 26.), doctrinae studiis et regenda civitate principem (de leg. III. 6.), doctum virum Phalereum (de rep. II. 1.), ex doctrina nobilem et clarum (pro Rabir. c. 9.), disputatorem subtilem (de offic. I. 1.), multa praeclara in illo calamitoso otio (de fin. V. 19) scripsisse tradit[1]). Ex eodem Ciceronis loco, qui tam honorifice de Demetrii scriptis judicat, plerosque libros eum, a publicis negotiis, quibus in patria urbe per decem annos functus erat, remotum in Aegypto, quod illud calamitosum otium dicit Cicero, scripsisse cognoscere licet. — Varii generis scripta ejus fuisse, historica, politica, rhetorica, grammatica, alia, Diogenes Laërtius[2]) docet, qui indicem librorum, quamquam mancum et vitiosum,[3]) litteris custodivit. Idem docet

orationis parem fuisse vel eum, qui cum summo omnium temporum oratore in hac re comparari possit. Sed fracta populi libertate, ipsa quoque eloquentia concidit, libertatis socia et alumna. Hinc etiam dicit Quintilianus (II. 4. 41.), fictas ad imitationem fori consiliorumqua materias apud Graecos dicere circa Demetrium Phalereum institutum esse. Illas autem suasoriarum (generis deliberativi) et controversiarum (generis judicialis) exercitationes, quas a veritate vitae aberrantes, verborum compositione rebus non accommodata, ad eloquentiam corrumpendam multum valuisse constat, jam a Demetrio ipso ad juvenes in dicendo erudiendos institutas esse, non est, quod ex hoc Quintiliani loco concludamus. Quae quum ita sint, Demetrium Phalereum, quamquam ab Alexandrinis grammaticis in optimorum scriptorum numerum non redactum, pro rerum quidem ac temporum commutatione forma quoque et indole eloquentiae, qualis fuerit inprimis Demosthenis, aliqua ex parte mutata, summo jure inter vere Atticos oratores referendum esse dicere non vereor. — Quibus autem veterum scriptorum testimoniis nisus Bernhardi in hist. lit. graec. I. p. 378. Demetrium neque ultimum Atticorum oratorem, neque omnino oratorem habendum esse contendere sit ausus, equidem non intelligo.

[1]) De fin. V. 19. „Princeps hujus civitatis Phalereus Demetrius, quum patria pulsus esset injuria, ad Ptolemaeum se regem Alexandriam contulit. Qui quum in hac ipsa philosophia, ad quam te hortamur, excelleret Theophrastique esset auditor, multa praeclara in illo calamitoso otio scripsit, non ad usum aliquem suum, quo erat orbatus, sed animi cultus ille erat ei quasi quidam humanitatis cibus."

[2]) V. 5. 80. *ὧν ἐστι τὰ μὲν ἱστορικά, τὰ δὲ πολιτικά, τὰ δὲ περὶ ποιητῶν, τὰ δὲ ῥητορικά, δημηγοριῶν τε καὶ πρεσβειῶν, ἀλλὰ μὴν καὶ λόγων Αἰσωπείων συναγωγαὶ καὶ ἄλλα πλείω.*

[3]) Bis commemoratur liber *περὶ νόμων;* liber, qui inscriptus est *ἀρχόντων ἀναγραφή,* aliis locis a Diogene laudatus, in indice deest. cf. Buhle de libris Arist. deperditis in comment. societ. Gotting. XV. p. 57.

Suidas s. v. *Δημήτριος. γέγραφε φιλόσοφά τε καὶ ἱστορικὰ καὶ ῥητορικὰ καὶ πολιτικὰ καὶ περὶ ποιητῶν.* In ipso indice librorum a Diogene asservato, cujus ordo nullus cernitur, quadraginta quinque scripta continentur,[1]) quorum ex titulis Demetrium easdem res, quibus Theophrastus et Aristoteles operam dederint, tractavisse intelligi potest.

Jam vero in fragmentis Demetrii scriptorum ex veterum locis colligendis divisionem generum, qualem Diogenes et Suidas observarunt, secuti, quatuor vel quinque genera discernenda esse volumus: opera philosophica, scripta, quae historiam et antiquitates spectant, scripta, quae reipublicae gerendae prudentiam pertinent, rhetorica, grammatica; quorum reliquiis collectis reliquorum scriptorum fragmenta subjungere in animo est.

Duo scripta, quae Demetrii nomine falso feruntur, breviter tantum hoc loco attingam. Stephanus Byzantius s. v. *κορώπη* Demetrium Phalereum commentarios in Nicandrum composuisse narrat, quod aut mendum scripturae aut error Stephani est; nam Nicander ille circa annum 150 a. Chr., Demetrio dudum mortuo, vixit, quare Demetrium Chlorum a Stephano intelligi viri docti conjecerunt.[2]) Alterum opusculum, quod etiamnunc integrum exstat, cujus auctorum vulgo Demetrium Phalereum edunt, et sententiarum subtilitate et judicii acumine et exemplorum delectu haud improbandum, est libellus ille, qui inscriptus est *περὶ ἑρμηνείας* sive de elocutione, quem quum multis de causis tum propter temporum ordinem, mirum in modum laesum, inferiori assignandum esse aetati demonstrarunt critici,[3]) Demetrium potius Alexandrinum suspicati, sub M. Aurelii principatu sophistam.

[1]) V. 5. 80. 81. *Ἔστι δὲ τὰ περὶ τῆς Ἀθήνησι νομοθεσίας α' β' γ' δ' ε', περὶ τῶν Ἀθήνησι πολιτῶν α' β', περὶ δημαγωγίας α' β', περὶ πολιτικῆς α' β', περὶ νόμων α', περὶ ῥητορικῆς α' β', Στρατηγικῶν α', β', περὶ Ἰλιάδος α' β', περὶ Ὀδυσσείας α' β' γ' δ', Πτολεμαῖος α', Ἐρωτικός α', Φαιδώνδας α', Μαίδων α', Κλέων α', Σωκράτης α', Ἀρταξέρξης α', Ὁμηρικός α', Ἀριστείδης α', Ἀριστόμαχος α', Προτρεπτικός α', ὑπὲρ τῆς πολιτείας α', περὶ τῆς δεκαετίας α', περὶ τῶν Ἰώνων α', Πρεσβευτικός α', περὶ πίστεως α', περὶ χάριτος α', περὶ τύχης α', περὶ μεγαλοψυχίας α', περὶ γάμου α', περὶ τοῦ δόκου α', περὶ εἰρήνης α', περὶ νόμων α', περὶ ἐπιτηδευμάτων α', περὶ καιροῦ α', Διονύσιος α', Χαλκιδικός α', Ἀθηναίων καταδρομή α', περὶ Ἀντιφάνους α', Προοίμιον ἱστορικόν α', Ἐπιστολαί α', Ἐκκλησία ἔνορκος α', περὶ γήρως α', Δίκαια α', Αἰσωπείων α', Χρειῶν α'.*

[2]) cf. Fabric. biblioth. graec. IV. p. 346.

[3]) cf. Schœll Gesch. der griech. Liter. B. II. p. 148. Discrepant judicia doctorum virorum de hujus libri auctore. Alii enim, ut Vossius, Muretus, Gale et Schneider appellant illum Demetrium Alexandrinum, tempore Marci Antonini imperatoris viventem: alii vero Dionysium Halicarnasseum: alii Demetrium Ixion quendam. Sed nihil constat. Attamen hoç dici potest, nec illorum commemoratorum unum, nec Demetrium Phalereum esse auctorem, sed Demetrium quendam, qui illorum tempore vixit. cf. de hac re Jacq. Matter in essai historique sur l'école d'Alexandrie. (Paris. 1820, 8.) vol. I. p 284 sq. Westermann Geschichte der Beredtsamkeit § 95. Walz. in rhet. Graec. vol. IX. proleg. p. III.—VII.

I. Opera philosophica.

Ad philosophicorum operum classem, quod quidem ex librorum titulis colligi possit, haec pertinent:

1. *Ἐρωτικός*, de amore sive de rebus amatoriis.[1])
2. *Πτολεμαῖος*. Ptolemaeum, Lagi filium, dictum esse verisimile est. Hunc librum eosque, qui sequuntur, septem dialogos philosophicos fuisse aliorum librorum, qui adhuc exstant, indices indicare videntur, quamquam et hunc et alios, ut Artaxerxem, Dionysium, vitas illorum virorum libris inscriptorum continuisse suspicari licet.
3. *Φαιδώνδας*. Phaedondas Thebanus, non Cyrenaeus, (cf. Ruhnken. ad Xenoph. Mem. I. 2. 48.) Socratis fuit discipulus, quem Plato in Phaed. c. III. cum Socrate de animorum immortalitate colloquentem fecit.
4. *Μαίδων*. Quis fuerit, ignoramus.
5. *Κλέων*. Cleonis libidini Demetrium serviisse tradit Diog. Laërt. V. 5. 76., quare hunc librum sive dialogum de libidine conscriptum esse conjicio; nam Cleonem illum concitatorem vulgi dictum esse non est, quod conjectemus.
6. *Ἀρταξέρξης*. Quis intelligendus sit, dubium est.
7. *Ἀριστείδης*, Aristides sive de justitia. Hunc librum vitam Aristidis continuisse non est verisimile, quod ii scriptores, qui res ad Aristidis vitam pertinentes Demetrio Phalereo auctore tradiderunt, eas ex Demetrii libro, qui Socrates inscriptus est, se hausisse profitentur.
8. *Ἀριστόμαχος*, Diog. Laërt. V. 4. 70. Aristomachum quendam in Lyconis amicorum numerum refert; aequalis igitur fuit Demetrii; num vero ex eo dialogus nomen ceperit, cognosci non potest.
9. *Διονύσιος*, Dionysius sive de luxuria.
10. *Σωκράτης*. Idem est liber, qui a Diogene Laërtio IX. 1. 10. IX. 7. 5. IX. 9. 1. *Σωκράτους ἀπολογία* inscriptus citatur, quare de argumento hujus libri dubii esse non possumus. cf. Jonsius de scriptoribus historiae philosophicae I. 18. Hujus libri nonnulla fragmenta reperiuntur.

Fragm. I.
Diog. Laërt. IX. 7. 5.

Δημήτριος δὲ ὁ Φαληρεὺς ἐν τῇ Σωκράτους ἀπολογίᾳ μηδὲ ἐλθεῖν φησιν αὐτὸν (Democritum) *εἰς Ἀθήνας*.

[1]) Theophrastum quoque, quo praeceptore Demetrium usum esse constat, librum, *Ἐρωτικὸν* inscriptum, confecisse, videmus ex Diogene Laërtio V. 2. 43, qui Theophrasti scriptorum indicem memoriae prodidit.

Fragm. II.

Diog. Laërt. IX. 9. 1.

Τοῦτόν (**Diogenem Appolloniatem physicum**) *φησιν ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος ἐν τῇ Σωκράτους ἀπολογίᾳ διὰ μέγαν φθόνον μικροῦ κινδυνεῦσαι Ἀθήνησιν.*

Fragm. III.

Plutarch. Aristid. c. I. (II. 478. R.)

Πρὸς δὲ τοῦτον τὸν λόγον (**Aristidem in paupertate decessisse, duas filias relinquentem tam pauperes, ut diu collocari non possent**) *ὑπὸ πολλῶν εἰρημένον ἀντιτασσόμενος ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος ἐν τῷ Σωκράτει χωρίον τε Φαληροῖ φησὶ γινώσκειν Ἀριστείδου λεγόμενον, ἐν ᾧ τέθαπται, καὶ τεκμήρια τῆς περὶ τὸν οἶκον εὐπορίας ἓν μὲν ἡγεῖται τὴν ἐπώνυμον ἀρχὴν, ἣν ἦρξε τῷ κυάμῳ λαχὼν ἐκ τῶν γενῶν τῶν τὰ μέγιστα τιμήματα κεκτημένων, οὓς Πεντακοσιομεδίμνους προςηγόρευον, ἕτερον δὲ τὸν ἐξοστρακισμόν· οὐδενὶ γὰρ τῶν πενήτων, ἀλλὰ τοῖς ἐξ οἴκων μεγάλων καὶ δι' ὄγκον ἐπιφθόνων ὄστρακον ἐπιφέρεσθαι· τρίτον δὲ καὶ τελευταῖον, ὅτι νίκης ἀναθήματα χορηγικοὺς τρίποδας ἐν Διονύσου κατέλιπεν, οἳ καὶ καθ' ἡμᾶς ἐδείκνυντο τοιαύτην ἐπιγραφὴν διασώζοντες „Ἀντιοχὶς ἐνίκα, Ἀριστείδης ἐχορήγει, Ἀρχέστρατος ἐδίδασκε.“*

Fragm. IV.

Plutarch. Aristid. c. I. in fine. (II. 480. R.)

Ἀλλὰ γὰρ ὁ μὲν Δημήτριος οὐ μόνον Ἀριστείδην, ἀλλὰ καὶ Σωκράτην δῆλός ἐστι τῆς πενίας ἐξολέσθαι φιλοτιμούμενος ὡς μεγάλου κακοῦ· καὶ γὰρ ἐκείνῳ φησὶν οὐ μόνον τὴν οἰκίαν ὑπάρχειν, ἀλλὰ καὶ μνᾶς ἑβδομήκοντα τοκιζομένας ὑπὸ Κρίτωνος.

Fragm. V.

Plutarch. Aristid. c. XXVII. (II. 542. R.)[1])

Ὁ δὲ Φαληρεὺς ἐν τῷ Σωκράτει φησὶ μνημονεύειν Ἀριστείδου θυγατριδοῦν εὖ μάλα πένητα Λυσίμαχον, ὃς ἑαυτὸν ἐκ πινακίου τινὸς ὀνειροκριτικοῦ παρὰ

[1]) **Ex eodem Demetrii libro Plutarchus ea hausisse videtur, quae praemittuntur, neque vero ipsa Demetrii verba attulisse, sed memoriter narrasse, quare librum non designat et alios ejusdem rei auctores**

τὸ Ἰακχεῖον λεγόμενον καθεζόμενος ἔβοσκε. Τῇ δὲ μητρὶ καὶ τῇ ταύτης ἀδελφῇ ψήφισμα γράψας δωρεὰν ἔπεισε τὸν δῆμον διδόναι τριώβολον ἑκάστης ἡμέρας.[1])

11. *Προτρεπτικός*,[2]) **exhortatio.**

Fragm. VI.[3])

Diog. Laërt. V. 5. 82.

Τοὺς νέους ἔφη δεῖν ἐπὶ μὲν τῆς οἰκίας τοὺς γονεῖς αἰδεῖσθαι, ἐν δὲ ταῖς ὁδοῖς τοὺς ἀπαντῶντας, ἐν δὲ ταῖς ἐρημίαις ἑαυτούς.

Fragm. VII.

Diog. Laërt. V. 5. 82.

Ἰδών ποτε νεανίσκον ἄσωτον, Ἰδού, ἔφη, τετράγωνος Ἑρμῆς ἔχων σύρμα, κοιλίαν, αἰδοῖον, πώγωνα.

Fragm. VIII.

Diog. Laërt. V. 5. 83.

Τοὺς φίλους ἐπὶ μὲν τὰ ἀγαθὰ παρακαλουμένους ἀπιέναι, ἐπὶ δὲ τὰς συμφορὰς αὐτομάτους ἀπιέναι.

Fragm. IX.

Stob. serm. 8. 20.

Αὐτικὰ γὰρ εἰ τῷ πολεμοῦντι καὶ παρατεταγμένῳ παρασταῖεν ἥ τε ἀνδρία καὶ ἡ δειλία, πόσον ἂν οἴεσθε διαφόρους εἰπεῖν λόγους; ἆρ' οὐχ

nominat. *Δημήτριος δ' ὁ Φαληρεὺς καὶ Ἱερώνυμος ὁ Ῥόδιος καὶ Ἀριστόξενος ὁ μουσικὸς καὶ Ἀριστοτέλης (εἰ δὴ τὸ περὶ εὐγενείας βιβλίον ἐν τοῖς γνησίοις Ἀριστοτέλους θετέον) ἱστοροῦσι Μυρτὼ θυγατριδῆν Ἀριστείδου Σωκράτει τῷ σοφῷ συνοικῆσαι, γυναῖκα μὲν ἑτέραν ἔχοντι, ταύτην δ' ἀναλαβόντι χηρεύουσαν διὰ πενίαν καὶ τῶν ἀναγκαίων ἐνδεομένην. Πρὸς μὲν οὖν τούτους ἱκανῶς ὁ Παναίτιος ἐν τοῖς περὶ Σωκράτους ἀντείρηκεν.* Hunc locum sequitur fragmentum. — Socratem duas habuisse uxores, Xanthippen et Myrto, Aristidis filiam, Demetrium Phalereum prodidisse dicit Athenaeus XIII. p. 556. a: *ἐκ τούτων οὖν τις ὁρμώμενος μέμψαιτ' ἂν τοὺς περιτιθέντας Σωκράτει δύο γαμετὰς γυναῖκας, Ξανθίππην καὶ τὴν τοῦ Ἀριστείδου Μυρτώ, οὐ τοῦ δικαίου καλουμένου, οἱ χρόνοι γὰρ οὐ συγχωροῦσιν, ἀλλὰ τοῦ τρίτου ἀπ' ἐκείνου· εἰσὶ δὲ Καλλισθένης, Δημήτριος ὁ Φαληρεύς, Σάτυρος ὁ περιπατητικός, Ἀριστόξενος.*

[1]) *Αὐτὸς μέντοι*, pergit Plutarchus, *ὁ Δημήτριος νομοθετῶν ἐψηφίσατο δραχμὴν ἑκατέρᾳ τάξαι τῶν γυναικῶν.*

[2]) De Theophrasti libro, qui inscriptus est *προτρεπτικός*, cf. Diog. L. V. 2. 49.

[3]) Hoc fragmentum et quae sequuntur tria, quod quidem ex argumento colligi possit, ad hunc librum, qui inscriptus est *προτρεπτικός*, referenda esso videntur, quamquam scriptores, ex quo Demetrii libro excerpserint, non ascripserunt.

ἡ μὲν ἀνδρία μένειν κελεύοι καὶ τὴν τάξιν διαφυλάττειν; Ἀλλὰ βάλλουσιν· ὑπόμενε. Ἀλλὰ τρωθήσομαι· καρτέρει. Ἀλλ' ἀποθανοῦμαι· ἀπόθανε μᾶλλον ἢ λίπῃς τὴν τάξιν. Ἀτενὴς οὗτος ὁ λόγος καὶ σκληρὸς, ἀλλ' ὁ τῆς δειλίας νὴ Δία φιλάνθρωπος καὶ μαλακὸς, ὑπάγειν γὰρ δῆτα κελεύει τὸν φοβούμενον. Ἀλλ' ἡ ἀσπὶς ἐνοχλεῖ· ῥῖψον. Ἀλλὰ καὶ ὁ θώραξ· παράλυσον. Παντὶ δήπου πραΰτερα ταῦτ' ἐκείνων. Ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. Μὴ λάβῃς, φησὶν ἡ ἐγκράτεια, ὅθεν οὐ δεῖ, μὴ φάγῃς, μὴ πίῃς, ἀνέχου, καρτέρει. τὸ τελευταῖον ἀπόθανε πρότερον ἢ πράξῃς ὅπερ οὐ δεῖ. Ἡ δ' ἀκρασία· πῖθι ὅτε βούλει, φάγε ὅ, τι ἂν ἥδιστα φάγοις· ἡ τοῦ γείτονος ἀρέσκει σοι γυνή; πέραινε· χρημάτων ἀπορεῖς; δάνεισαι. Δανεισάμενος ἀδυναμεῖς; μὴ ἀποδῷς· οὐ πιστεύουσιν ἔτι δανείζειν; ἅρπασον. Πολύ γε κἀνταῦθα τὸ μεταξύ. Ἀλλὰ τίς οὐκ οἶδεν, ὅτι ἡ μὲν τοιαύτη χάρις ὀλέθριος γίνεται τοῖς προσδεξαμένοις, ἡ δ' ἐκ τῶν ἐναντίων σωτήριος;

Fragm. X.

Stob. florileg. 12. 18.

Δημήτριος ἐρωτηθεὶς, τί φαῦλον τοῖς ψευδομένοις παρακολουθεῖ, εἶπε. Τὸ μηδ' ἂν τἀληθῆ λέγωσιν ἔτι πιστεύεσθαι.

Fragm. XI.

Diog. Laërt. V. 5. 82.

Ἔλεγε μὴ μικρὸν εἶναι μέρος τὰς ὀφρῦς· ὅλῳ γὰρ ἐπισκοτῆσαι δύνασθαι τῷ βίῳ.

12. περὶ πίστεως, **de fide.**
13. περὶ χάριτος, **de gratia.**[1])
14. περὶ τύχης, **de fortuna.**[2])

[1]) De Theophrasti libro περὶ χάριτος cf. Diog. l. l.

[2]) Theophrasti magistri sententiam, cui plane addictum fuisse supra (comm. P. I. p. 15) demonstravimus, ut non solum in oratione ac dicendi genere, sed in multis aliis quoque rebus Theophrasti discipulum possis agnoscere (Cic. de leg. III. 36.), mira sua vitae vicissitudine motus, secutus esse videtur. Theophrastus autem, cujus liber de vita beata saepius citatur a Cicerone (de fin. V. 4. 10. 11. 12. 28. 85. Orat. 19.), cum fortuna adversa, cum dolore cruciatuque corporis conjungi beatam vitam nullo modo posse contendit, idemque vexatur et libris et scholis omnium philosophorum, quod in Callisthene suo laudarit illam sententiam: vitám regit fortúna, non sapiéntia (Cic. in Tusc. disput. V. 9.)

Fragm. XII.

Diog. Laërt. V. 5. 82.

Οὐ μόνον τὸν πλοῦτον ἔφη τυφλὸν, ἀλλὰ καὶ τὴν ὁδηγοῦσαν αὐτὸν τύχην.

Fragm. XIII.

Plutarch. consol. ad Apollon. p. 394. R. (103. 52.)

Ὅθεν ὀρθῶς ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος ἔφη[1]). *Τὰ μὲν ἄλλα καλῶς λέγειν αὐτόν· βέλτιον δ' ἂν εἶχεν ἄν, εἰ μὴ μίαν ἡμέραν, ἀλλὰ στιγμὴν εἶπε χρόνου.*

Fragm. XIV.

Polybii excerpt. lib. XXX. c. 3. in A. Mai script. vett. nova collect. (§. 397.) vol. II. pag. 434. 435.[2])

Εἰ γὰρ λάβοι τις μὴ χρόνον ἄπειρον μηδὲ γενεὰς πολλὰς, ἀλλὰ πεντήκοντα μόνον ἔτη ταῦτα πρὸ ἡμῶν, γνοίη τ' ἄν, ὡς τὸ τῆς τύχης χαλεπὸν ἐνταῦθα·

Hic senarius scriptus est apud Plutarchum *περὶ τύχης* p. 97. et apud Stobaeum in eclog. physic. p. 14. his verbis: *τύχη τὰ θνητῶν πράγματ' οὐκ εὐβουλία.* Theophrastus igitur peripateticus in hac re non consentiebat cum sententia scholae ejusque principis, qui, ut Academici, externa bona eaque corporis esse *συμπληρωτικὰ τῆς κατὰ φύσιν τελειότητος*, sed beatam vitam sine istis consistere posse dicebat.

1) Demetrium hoc dixisse Plutarchus offert, respicientem hos versus Euripidis:

ὁ δ' ὄλβος οὐ βέβαιος, ἀλλ' ἐφήμερος.
ὡς μικρὰ τὰ σφάλλοντα, καὶ μί' ἡμέρα
τὰ μὲν καθεῖλεν ὕψοθεν, τὰ δ' ἦρ' ἄνω.

Plutarchum hunc locum ex Demetrii libro, qui inscriptus est *περὶ τύχης*, sumsisse ex hac ipsa sententia satis apparet.

2) *Ὥστε πολλάκις καὶ λίαν μνημονεύειν τοῦ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως φωνῆς· ἐκεῖνος γὰρ ἐν τῷ περὶ τῆς τύχης ὑπομνήματι βουλόμενος ἐναργῶς ἀποδεικνύναι τοῖς ἀνθρώποις τὸ ταύτης εὐμετάβολον, ἐπιστὰς ἐπὶ τοὺς κατ' Ἀλέξανδρον καιροὺς, ὅτε κατέλυσε τὴν Περσῶν ἀρχὴν, λέγει ταῦτα.* Jam sequuntur Demetrii verba. — A Demetrio Phalereo scriptum fuisse de fortuna librum, prius unicus testis erat Diogenes Laërtius in Demetrii vita. Nunc praeclarum deperditi operis fragmentum invenimus et quidem bis scriptum cum varietate quadam apud Polybium et apud Diodornm. Sine dubio autem Diodorus non ex metrio ipso, sed ex Polybio locum hausit et, nonnullis variatis, in historiam suam exscripsit, quamquam lectionis varietas nos propo ambiguos reddere potest. Et archetypum igitur et exemplar ejus uno tempore eodemque in codice deprehendimus. Ex ejusdem fragmenti verbis *πεντηκοστὸν γὰρ ἔτος κτλ.*, quibus respicit annum, quo Alexander in Asiam sit profectus Ol. 111. 3., collatis Polybii verbis *ἐπιστὰς ἐπὶ τοὺς κατ' Ἀλέξανδρον καιρούς, ὅτε κατέλυσε τὴν Περσῶν ἀρχήν* cognoscimus, librum a Demetrio scriptum fuisse primis Ptolemaei Philadelphi regnantis annis, id quod sententiam meam de exsilii tempore supra prolatam certis argumentis probat atque confirmat.

πεντηκοστὸν γὰρ ἔτος οἴεσθ' ἂν ἢ Πέρσας ἢ βασιλέας τῶν Περσῶν, ἢ Μακεδόνας ἢ βασιλέας τῶν Μακεδόνων, εἴ τις θεῶν αὐτοῖς προὔλεγε τὸ μέλλον, πιστεῦσαί ποτ' ἂν, ὡς εἰς τοῦτον τὸν καιρὸν Περσῶν οὐδ' ὄνομα λειφθήσεται τὸ παράπαν, οἳ πάσης τῆς οἰκουμένης ἐδέσποζον, Μακεδόνες δὲ πάσης κρατήσουσιν, ὧν οὐδ' ὄνομα πρότερον ἦν; ἀλλὰ πῶς ἡ πρὸς τὸν βίον ἡμῶν ἀσύνθετος τύχη καὶ πάντα παρὰ λογισμὸν τὸν ἡμέτερον καινοποιοῦσα, καὶ τῆς αὐτῆς δύναμιν ἐν τοῖς παραδόξοις ἐνδεικνυμένη, καὶ νῦν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, δείκνυσι πᾶσιν ἀνθρώποις, Μακεδόνας εἰς τὴν Περσῶν εὐδαιμονίαν εἰςοικίσασα· διότι καὶ τούτοις ταῦτα τἀγαθὰ κέχρηκεν, ἕως ἄλλο τι βουλεύσηται περὶ αὐτῶν (ὃ νῦν γέγονε καὶ Περσέα).[1])

Idem fragmentum iisdem fere verbis cum lectionis quadam varietate deprehendimus apud Diodorum, quem ex Polybii codice non depravato, quum is, qui Polybium excerpsit, depravato usus esse videatur, exscripsisse verisimile est; nam Polybium Demetrii verba depravasse cogitari non potest. Quamvis Diodori verba aliquantulum a Polybii verbis recedant, haud inutilem tamen operam me suscepturum esse existimavi, si eundem locum ex Diodoro transcriberem, quum praesertim is meliorem textum exhiberet.

Diodor. excerpt. Vatic. in A. Mai script. vett. nova collect. p 81.[2])

Εἰ γὰρ λάβοις πρὸ τῆς ἐννοίας μὴ χρόνον ἄπειρον μηδὲ γενεὰς πολλάς, ἀλλὰ πεντήκοντα μόνον ἔτη ταυτὶ τὰ πρὸ ἡμῶν, γνοίης ἄν, ὡς τὸ τῆς τύχης χαλεπὸν ἐνταῦθα· πεντηκοστῷ γὰρ ἔτει πρότερον οἶσθα μὴ Πέρσας ἢ βασιλέα τῶν Περσῶν ἢ Μακεδόνας ἢ βασιλέα τῶν Μακεδόνων, εἴ τις θεῶν αὐτοῖς προὔλεγε τὸ μέλλον, πιστεῦσαί ποτ' ἄν, ὡς εἰς τοῦτον τὸν καιρὸν Περσῶν μὲν οὐδ' ὄνομα λειφθήσεται τὸ παράπαν, οἳ πάσης σχεδὸν τῆς οἰκουμένης ἐδέσποζον, Μακεδόνες δὲ καὶ πάσης κρατήσουσιν, ὧν οὐδ' ὄνομα ἦν γνώριμον, ἀλλ'

[1]) *Ταῦτα μὲν ὁ Δημήτριος,* Polybius pergit, *ὡςανεὶ θείῳ τινὶ στόματι περὶ τοῦ μέλλοντος πεφοίβακεν — καὶ Δημητρίου μνησθῆναι· δοκεῖ γάρ μοι θειοτέραν ἢ κατ' ἄνθρωπον τὴν πρόφασιν ποιήσασθαι, σχεδὸν γὰρ ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα πρότερον ἐτῶν τἀληθὲς ἀπεφήνατο περὶ τῶν ἔπειτα συμβησομένων.*

[2]) Haec verba a Diodoro praemittuntur: *Ὅτι ἀκμαζούσης τῆς τῶν Μακεδόνων βασιλείας Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐν τῷ περὶ τύχης ὑπομνήματι καθάπερ χρησμῳδῶν ὑπὲρ τῶν αὐτῇ συμβησομένων εὐστόχως τούτους τοὺς λόγους ἀποπεφοίβακεν.* Iisdem verbis *συμβησομένων, πεφοίβακεν* pro *ἀποπεφοίβακεν* usus est Polybius, idemque, quod Polybius Demetrii verbis submisit, Diodorus praemisit.

ὅμως ἡ πρὸς τὸν βίον ἡμῶν ἀναλογία τῆς τύχης καὶ πάντως παρὰ τὸν λογισμὸν τὸν ἡμέτερον καινοποιοῦσα, καὶ τῆς αὐτῆς δύναμιν ἐν τοῖς ἐνδόξοις ἐνδεικνυμένη, καὶ νῦν ὁμοίως ἐνδείκνυται, Μακεδόνας εἰς τῶν Περσῶν ἡγεμονίαν ἐνοικίσασα· διότι καὶ τούτοις ἡ τύχη τἀγαθὰ κέχρηκεν, ἕως ἂν ἄλλο τι βουλεύσηται περὶ αὐτῶν. Ὃ συνέβη κατὰ τοὺς νῦν χρόνους συντελεσθῆναι.[1])

15. περὶ μεγαλοψυχίας, non de animi magnitudine, sed de animo opinionibus inflato, quo leniore sensu Plato saepius utitur vocabulo μεγαλόψυχος pro ἄφρων.

Fragm. XV.

Diog. Laërt. V. 5. 82.

Τῶν τετυφωμένων ἀνδρῶν ἔφη τὸ μὲν ὕψος δεῖν περιαιρεῖν, τὸ δὲ φρόνημα καταλιπεῖν.

16. περὶ γάμου, de nuptiis.

17. περὶ ἐπιτηδευμάτων, de variis hominum studiis.

18. περὶ καιροῦ,[2]) de tempore opportuno.

19. περὶ γήρως,[3]) de senectute.

Fragm. XVI.

Diog. Laërt. II. 3. 9.

Τοῦτον (Anaxagoram) δὲ καὶ θάψαι ταῖς ἰδίαις χερσὶν αὐτοὺς Δημήτριός φησιν ὁ Φαληρεὺς ἐν τῷ περὶ γήρως.

Fragm. XVII.

Diog. Laërt. IX. 2. 4.

Φησὶ δὲ Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐν τῷ περὶ γήρως ταῖς ἰδίαις χερσὶ θάψαι τοὺς υἱεῖς αὐτὸν (Xenophanem) καθάπερ καὶ Ἀναξαγόραν.

20. Δίκαια, de justis actionibus.

21. περὶ τοῦ δόκου, de opinione.[4])

22. περὶ ὀνείρων libri quinque, de somniis.[5])

[1]) Διόπερ καὶ ἡμεῖς, Diodorus pergit, ut ex Polybio eum exscripsisse cognoscas, ἐκρίναμεν τῇ περιστάσει ταύτῃ τὸν ἁρμόζοντα λόγον ἐπιφθέγξασθαι καὶ τῆς προφάσεως τῆς Δημητρίου μνησθῆναι μείζονος οὔσης ἢ κατ' ἄνθρωπον· προεῖπε γὰρ ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα ἔτη περὶ τῶν ὕστερον συμβησομένων.

[2]) Theophrastus scripsit librum περὶ καιρῶν. cf. Diog. L. V. 42—50.

[3]) Ejusdem tituli librum idem Theophrastus confecisse dicitur. cf. Diog. L. l. l.

[4]) Ita saepius vox δόκος pro voce δόκησις occurrit apud Sextum Empiricum. Lucas Holstenius περὶ τόκου i. e. de foenore legendum esse conjecit; quod si recte conjecisset, hic liber inter opera, quae ad rempublicam pertinent, referendus esset.

[5]) Hujus libri, qui Diogenem Laërtium effugisse videtur, mentionem fecit Artemidor. oneirocrit. II. 44.

II. Opera, quæ historiam et antiquitates spectant.

1. *ἀρχόντων ἀναγραφή,*[1]) opus chronologicum, commentarii, in quibus, temporis ordine secundum archontum annos observato, varias res memoria dignas litteris custodivit.

Fragm. XVIII.
Diog. Laërt. I. 1.

Καὶ πρῶτος σόφος ὠνομάσθη (Thales) *ἄρχοντος Ἀθήνῃσι Δαμασίου, καθ' ὃν καὶ οἱ ἑπτὰ ἐκλήθησαν, ὥς φησι Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐν τῇ τῶν ἀρχόντων ἀναγραφῇ.*

Fragm. XIX.
Diog. Laërt. II. 3. 8.

Ἤρξατο δὲ φιλοσοφεῖν (Anaxagoras) *Ἀθήνησιν ἐπὶ Καλλίου ἐτῶν εἴκοσι ὤν, ὥς φησι Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐν τῇ τῶν ἀρχόντων ἀναγραφῇ.*

Fragm. XX.
Diog. Laërt. II. 5. 23.

Ἐτελεύτησε δὲ (Socrates) *τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ἐνενηκοστῆς πέμπτης Ὀλυμπιάδος, γεγονὼς ἐτῶν ὀγδοήκοντα· καὶ ταῦτά φησι καὶ Δημήτριος ὁ Φαληρεύς.*[2])

Fragm. XXI.
Plutarch. Aristid. c. I. (II. p. 481. R.)

Εἰ δὲ καὶ μετὰ τὴν ἐν Πλαταιαῖς μαχὴν ἦρξεν, ὡς αὐτὸς ὁ Δημήτριος γέγραφε.

p. 142. *καίτοι Γεμινοῦ τοῦ Τυρίου καὶ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως καὶ Ἀρτέμωνος τοῦ Μιλησίου, τοῦ μὲν ἐν τρισὶ βιβλίοις, τοῦ δὲ ἐν πέντε, τοῦ δὲ ἐν εἴκοσι δύο πολλοὺς ὀνείρους ἀναγραψαμένων καὶ μάλιστα συνταγὰς καὶ θεραπείας τὰς ἀπὸ Σεράπιδος δοθείσας.* Serapis Demetrio per somnium remedium praecepisse videtur, quo oculorum morbo sanatus est. Theophrastus quoque scripsit librum *περὶ ἐνυπνίων.* cf. Diog. l. l.

[1]) Hujus libri indicem Diogenes Laërtius in catalogo Demetrii scriptorum non commemoravit, quamquam aliis locis mentionem ejus fecit. — Temporis et annorum notatio accuratior quaedam admodum sero ab historicis graecis adhibita est. Chronologiae graecae, certe Atticae hinc condendae periculum fecisse videtur Demetrius Phalereus in opere, quod inscriptum est *ἀναγραφὴ ἀρχόντων* sive archontum index, cujus fortasse epitomen servatam esse conjicio in Marmore Pario, quod rerum graecarum, in primis Atticarum descriptionem inde a Cecrope usque ad Ol. CXXIX. 1., temporum ordine servato, continet. Doctrinam vero temporum primus reperit Eratosthenes, cujus vestigiis fere institerunt, quos deinceps hanc disciplinam scriptis tradidisse constat.

[2]) Mirum est, quod Demetrius non subjungit, quo archonte Socrates mortuus sit. Diogenem eum omisisse credo, quum ad Demetrium provocaret auctorem, Socratem septuagenarium, non, ut alii, sexagenarium obiisse.

Fragm. XXII.

Plutarch. Aristid. c. 5. (II. 492. R.)

Καίτοι φησὶν ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος ἄρξαι τὸν ἄνδρα (Aristidem archontem fuisse) *μικρὸν ἔμπροσθεν τοῦ θανάτου μετὰ τὴν ἐν Πλαταιαῖς μάχην.*[1])

Fragm. XXIII.

Marcellin. in vita Thucyd. §. 32.

Ἀλλὰ δῆλον ὅτι κάθοδος ἐδόθη τοῖς φεύγουσιν, ὡς Φιλόχορος λέγει καὶ Δημήτριος ἐν τοῖς ἄρχουσιν.

2. *περὶ τῆς Ἀθήνησι νομοθεσίας* libri V., de legibus Atheniensium.[2])

Fragm. XXIV.

Lexic. rhetor. post Phot. Pors. p. 667.

Ἔστι δ' ὅτε ἐμβάλλοντες τοὺς συκοφαντουμένους εἰσήγγειλον, ὡς μὲν Φιλόχορος, χιλίων καθιζομένων, ὡς δὲ Δημήτριος ὁ Φαληρεύς, χιλίων πεντακοσίων. Κἀκεῖνος δὲ οὕτως ὡρίσατο· εἰσαγγελία ἐστὶν ὃ περὶ καινῶν ἀδικημάτων δεδώκασιν ἀπενεγκεῖν οἱ νόμοι· ἔστι δὲ τὸ μελετώμενον ἐν ταῖς τῶν σοφιστῶν διατριβαῖς.[3])

Fragm. XXV.

Suidas s. v. *παράστασις.*[4])

Δημήτριος δ' ὁ Φαληρεὺς ἐν τοῖς περὶ νομοθεσίας τοὺς διαιτητάς φησι λαχεῖν τὰς δραχμάς, μίαν μὲν ὑπὸ τῆς λήξεως, ἣν παράστασιν ἐκάλουν, ἑτέραν δὲ καθ' ὑπωμοσίαν ἑκάστην.

[1]) Plutarchus eodem loco dicit: *ἐφ' οὗ τὴν ἐν Μαραθῶνι μάχην ἐνίκων, εὐθὺς Ἀριστείδης ἄρχων ἀναγέγραπται.*

[2]) De legibus et institutis, quae Demetrius in principatu suo tam prudenter fecerit, ut tertius Atheniensium legumlator sit appellatus, qui tum robur reddiderit Solonis legibus tum novas easque præstantissimas tulerit, cf. comment. meae P. I. p. 39—48, ubi leges, quas sanxit Demetrius, et sumtuariae et judiciariae accuratius sunt explicatae. Demetrius igitur in hoc libro, qui inscriptus est *περὶ τῆς Ἀθήνησι νομοθεσίας*, non solum leges, jura, instituta Atheniensium, qualia ex Solonis tempore fuerint, sed etiam leges ab ipso latas et renovatas perscripsisse videtur, quare hunc librum inter ea quoque scripta, quae ad rempublicam tractandam pertinent, referri posse concedo. — Theophrastus scripsit *περὶ νομοθετῶν* libros tres, quibus aegre caremus.

[3]) cf. Dissert. meae de Demetrio Phalereo Part. I. p. 44.

[4]) Idem fragmentum exstat apud Harpocrat. et Photium s v. *παράστασις*, ubi pro *λαχεῖν* legitur *λαμβάνειν*. cf. dissert. meae Part. I. p. 45.

Fragm. XXVI.[1])

Lexic. rhet. post Phot. Porson. p. 672.

Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ τῆς Ἀθηναίων νομοθεσίας . . . . . . *πλεῖστα ἐχρημάτιζεν ἢ μέγιστα τῶν κοινῶν ἀλλ' ἐνῆν δεδεμένον φησίν· εἰκότως δ' ἄν τις αὐτῷ ἐπιτιμήσειεν· εἰ γὰρ ἄν ποτε κυρίας ἐκκλησίας τοὺς νομίσαι ἐν . . . . . . ἐμίσθουν . . . . . .*

Fragm. XXVII.

Suidas s. v. σκαφηφόροι.[2])

Δημήτριος γοῦν ἐν γ' Νομοθεσίας φησὶν ὅτι *προσέταττεν ὁ νόμος τοῖς μετοίκοις ἐν ταῖς πομπαῖς αὐτοὺς μὲν σκάφας φέρειν, τὰς δὲ θυγατέρας αὐτῶν ὑδρεῖα καὶ σκιάδεια.*

Fragm. XXVIII.

Harpocr. s. v. ἕρκειος Ζεύς.

Ὅτι δὲ τούτοις μετῆν τῆς πολιτείας, οἷς εἴη Ζεὺς ἕρκειος, δεδήλωκε Δημήτριος ἐν τοῖς περὶ τῆς Ἀθήνησι νομοθεσίας.

Fragm. XXIX.

Schol. ad Aristoph. Nub. v. 37.

Δημήτριος δὲ ὁ Φαληρεὺς οὕτω φησί· *καὶ δημάρχους οἱ περὶ Σόλωνα καθίσταντο ἐν πολλῇ σπουδῇ, ἵνα οἱ κατὰ δῆμον διδῶσι καὶ λαμβάνωσι τὰ δίκαια παρ' ἀλλήλων.*

Fragm. XXX.

Plutarch. Solon. c. 23. (I, 362. R.)

Λύκον δὲ τῷ κομίσαντι πέντε δραχμὰς ἔδωκε, λυκιδέα δὲ μίαν, ὧν φησιν ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος *τὸ μὲν βοὸς εἶναι, τὸ δὲ προβάτου τιμήν.*

3. περὶ τῶν Ἀθήνησι πολιτῶν **libri duo, de Atheniensibus civibus.**

4. περὶ δεκαετίας, **quo in libro Demetrius rationem reddidit decem annnorum, quibus ipse reipublicae praefuerat,**[3]) **ut Demades orationem, qua rerum per duodecim annos a se gestarum rationem reddidit,** περὶ τῆς δωδεκαετίας **inscripsit.**

[1]) Hoc fragmentum lacuna plurium verborum mutilatum est.

[2]) Idem habet Harpocrat. et Photius s. v. σκαφηφόροι.

[3]) cf. Comment. meae de Demetrio Part. I. p. 31. Huc referendi sunt duo loci Ciceronis, quem ex Demetrii libro περὶ δεκαετίας inscripto haec hausisse verisimile est. de legg. II. 25.—26. „Postea,

Fragm. XXXI.
Diog. Laërt. V. 5. 82.

Ἀλλ' οὐ τὴν ἀρετὴν, ἔφη, (sc. *κατέστρεψαν οἱ Ἀθηναῖοι*) *δι' ἣν ἐκείνας* (*εἰκόνας*) *ἀνέστησαν.*

Fragm. XXXII.
